COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XXIV. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXXXII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

I.

Kongl. Svenska Vetenſkaps Academiens Handlingar för År 1775. Vol. XXXVI. Med Kongl. Academiens Tilſtånd. Stockholm, tryckte i framledne Direct. Lars Salvius Tryckeri på Sterbhuſets Koſtnad, 1775. 8. pagg. 350. tabb. aen. 10.

i. e.

Acta Academiae Regiae Scient. Suecicae anni 1775. Vol. XXXVI.

Initio, poſt Regem, Academiae Suae Protectorem, nominantur Socii, Sueci et exteri.

Trimeſtre primum.

1. Cl. ALEX. MICH. DE STRVSSENFELT breviter deſcribit, quomodo menſurari oporteat *aquae in fontibus profunditas*, et menſurae in tabula deſcribi, vt intelligatur, quae facienda ſint, ſi fluente tempore ingeſta materia portum minus profundum efficiat. p. 1.

2. *De aquarum mineralium examine* agit Cl. TORBERN BERGMAN. Illas examinauit, quae in Sueciam aduehuntur, Seydſchüzenſem, Selteranam, Spadanam et Pyrmontanam. Singularum grauitates ſpecificas exhibet; quae admixta continent, vt, euaporatione diminutae, dimittant, effecit; aëris fixi, quem vulgo vocant, qui ipſi acidum aëreum eſt, quantum quaelibet contineat, explorauit p. 7.

peculiari machina, qua acidum hoc, excalescente aqua abiens, colligitur. Ingredientium pondera subtiliter exhibet, et, quae analysi instituta separavit, inesse aquis reagentibus adhibitis confirmat.

p. 18. Reperit vero in omnibus acidum aëreum, *liberum* quod vocat, hoc est, quod calore, qua ebullit aqua, auolat; nam illud, quod ad saturanda alcalia, calcem, magnesiam requiritur, maiori demum calore separatur. Item omnibus insunt calx et magnesia, acido aëreo saturatae. Ferrum acido aëreo solutum inest Spadanae et Pyrmontanae. Alcali mineralis crystalli obtinentur ex Selterana et Spadana, vegetabilis alcali ex Spadana. Calx acido vitrioli saturata ex Seydschüzensi, Spadana et Pyrmontensi. Magnesia acido vitrioli saturata ex Seydschüzensi atque Pyrmontana. Magnesia acido salis saturata ex Seydschüzensi; alcali minerale acido salis saturatum ex Selterana, Spadana et Pyrmontana. Methodus vero ipsa, qua haec examina instituit, ab aliis multum recedens, magno cum fructu apud ipsum legetur.

p. 43. 3. IOH. NOREEN describit *methodum minus ofensatam, calculum vesicae e feminis eximendi.* Eius ipse experimentum fecit in femina rustica, destitutus instrumentis, quae ad sectionem calculi adhiberi solent, vt solo scalpello vti oporteret. Calculus durus et asper, digiti circiter spatio post orificium vrethrae, vesicam et vaginam vteri disruperat, apertus apparens. Eo igitur loco, quem natura indicabat, vesicam et vaginam, versus interiora, duorum circiter digitorum spatio, dilatauit, calculum digito prehendit, sed adnatum interiori membranae vesicae ita separauit, vti obstetrices placentam vtero adnatam separant. Deinde a materia calculosa vesicam digitis purgauit; vulnus apertum seruauit, secunda die post operationem

nem nihil calculosi amplius ex vulnere exiit, vrinaque consueta via, absque dolore, effluxit. Aegra mox conualuit, anno sequente infantem enixa, post plures. Erat annorum XXXVI; dolores per quadriennium passa, quorum causſam Noster animaduertens instrumentis destitutus feliciter sustulit. Nominat alios, qui simili methodo vsi sint, FABRICIVM HILDANVM *Obs. Chir. Cent.* I. *Obs.* 68. RVYSCHIVM *Obs. An. Chir. Cent. Obs.* I. BVSSIERE *Phil. Transact.* 1700. *abridg'd p.* 188. et porro methodi praestantiam ex principiis anatomicis et chirurgicis confirmat. Tria illa loca, vbi vreteres et vrethra vesicae iunguntur, trianguli velut aequicruri spatium definiunt, cuius basis vreterum insertionibus contineatur. In quam, si perpendiculum ductum cogitetur, sectio iuxta hoc per p. 50.
pendiculum tutissime fiet, illaesis manentibus vrethra et peritonaeo, fibris muscularibus longitudinalibus, quae ibi paucae reperiuntur, facile separandis, arteriarum ramulis, qui tunicam cellulosam liberam ingrediuntur, facile contractione se occlu- p. 52.
dentibus, sphincteribus omnino a loco sectionis remotis. Hanc igitur methodum calculum eximendi aliis praefert, et, quomodo adhibenda sit, docet.

4. Cl. OLAVS ACREL laudat studium et p. 57.
dexteritatem NORDENII, qui recte, in casu, quem narrat, vsus sit *loco necessitatis*, quem calculus ipse, disruptis membranis, fecerat. Sed multum abest, vt concedat triangulare illud spatium, quod ostendit NORDENIVS, *locum electionis* esse; secuturum p. 60.
enim incisionem in illo infimo vesicae loco perpetuum inuoluntarium stillicidium vrinae, quod sectione in parte superiore instituta, si reliqua conueniant, euitetur.

p. 61. 5. His addit Cl. ROL. MARTIN, methodum NOREENIO propoſitam egregie conuenire cum anatomia, experientiae tamen, quod et Cl. ACREL dixerat, committendum eſſe, vt eius praeſtantiam determinet. Quo refert, videndum eſſe, an, ſecta vagina vteri ſuper columna carneo-papilloſa anteriore, apertura vnius aut duorum digitorum fieri poſſit eximendo calculo? annon laedatur a REGNERO DE GRAAF deſcripta ſubſtantia membranoſa albicans, quae canalem vrethrae circumdat? annon ſinus, pori et lacunae mucoſae, quae reperiuntur inter reticulata iuga valuularum vaginae et ceruicis vteri, et alia humorum receptacula, effuſo perpetuo liquore, ad illam, de qua Cl. ACREL metuit, vrinae incontinentiam multum factura ſint? Porro hanc a NOREENIO propoſitam methodum cum apparatu alto comparat.

p. 69. 6. CAR. PETR. THVNBERG deſcribit *fungum* huc vſque *ignotum*. Reperit illum in regione fabuloſa *Carr* Capitis Bonae Spei; ſtructura eſt adeo ſingulari, vt nec inter flores, nec inter fungos commode poſſit referri. Illorum habet partes, petala, mares, feminas, textura vero petalorum, pilei, et corporum ſeminalium propius ad fungos ducitur, inter Clauariam et Lycoperdum collocandus. Mares tres, ſupra feminam poſiti, antheris praediti, quae puluerem ſeminalem in ſulcis contineant, et in feminam demittant; ita enim contingere fructificationem ex eo colligit Noſter, quod alias hae partes, quibus omnes fungi huc vſque cogniti carent, ſuperfluae eſſent. Cui vero fini contingat haec fructificatio plantarum ad modum, fatetur, ſe non intelligere; credit enim ſemina huius fungi, vt aliorum, eſſe animalcula viuentia. Plura de mirabili hoc fungo non transſcribimus, cum vix ſine figura,

figura, qua ſuam deſcriptionem illuſtrat Cl. Auctor, intelligi poſſint. Sermone vſus eſt non botanico-latino, ſed ſuecico. Vocat: *Hydnoram Africanam.*

7. Theorema geometricum *de computandis pyramidibus truncatis breuius, quam a* CLAVIO *factum eſt*, demonſtrat ZACH. PLANTIN. p. 75.

8. *De minera Tutanego Sinenſi* refert IOH. ABRAH. GRILL. Accepit illam in itinere Sinenſi ex Prouincia *Yunnan*, vbi plurimae metallifodinae Sinenſium reperiuntur. Differt plurimum colore a minera eiuſdem nominis, quam EKEBERG Londini CIↃIↃCCLVI. deſcripſit, et ex prouincia *Whonam* habuit, quod idem nomen eſſe Noſter contendit, pronunciatione populi et Mandarinorum diuerſum. p. 77.

9. *Eiusdem minerae examen chemicum* inſtituit GVST. V. ENGESTROM. Eſt ipſi: *Minera zinci calciformis, pura, friabilis: flos zinci naturalis albus, cum ochra ferri rubra, vndulatim interpoſita.* Itaque nouo minerali, *flore zinci naturali*, ditatur mineralogia. p. 78.

Trimeſtre ſecundum.

1. *Aſtronomicum problema* ſoluit Cl. LEXELL de figura orbitae planetae definienda, ex datis, cum diſtantia minima a ſole, duabus aliis, et angulo, quem vltimae duae ad ſolem continent. Eius vſus inprimis ad cometas pertinet. p. 87.

2. Diſſertationis *de aquis mineralibus* ſectionem ſecundam et *vltimam* edit Cl. BERGMAN, docturus, quomodo arte parentur. Primo apparatus deſcribit aquae acido aereo impraegnandae, tum ſuum, tum Cl. PRISTLEII, vt illum ipſe emendauit, item quo- p. 94.

modo fermentantia poſſint adhiberi; ipſe ſaccha-
p. 97. ro in aqua ſoluto vtitur. Fermentantibus vti con-
venit illos, qui, calce acidis ſoluta, aliquid a men-
ſtruo ſecedens ineſſe materiae aquam impraegnanti
verentur, etſi ipſe hunc metum ſuperuacuum pro-
nunciat, cum acidum aëreum his ſolutionibus ob-
tentum nihil ad hoc, vel illud menſtruum perti-
nens oſtendat, ſeque omnino ita habeat, veluti quod
p. 102. e calce omnis acidi experte igne elicitur. Aquae
omnes acido aëreo fetae ſunt, quod ex aëre attra-
hunt, maiori copia, ſi motu agitatae fuerunt, quo
ſeparatarum partium augetur ſuperficies, vt plus
acidi ingrediatur. Minor quidem eſt in aquis
huius acidi copia, quam quae guſtu percipi poteſt,
quod tamen potae refrigerant, ab eo eſt, vnde id
coctae non praeſtant, niſi diu frigidae rurſus fieto-
rint. Aërea vero aqua, vt ros et pluuia, eam ipſam
ob cauſam, quod guttarum eius maior ſuperficies
ab aëre tangatur, ditior eſt acido aëreo, quam quae
alueis terreſtribus continetur. Quam ob cauſam
coelo decidens aqua magis prodeſt plantis, quam
hauſta, qua humectantur. Docuit enim Noſtrum
plantarum analyſis, ineſſe illis, praeter alias, calcem,
magneſiam, argillam et ſilicem, quae quidem in agris
fertilibus etiam reperiuntur, calx vero et magneſia,
accedente acido aëreo, ab aqua ſolui poſſunt et adeo
plantas ingredi. Iam docet, quomodo parandae
ſint aquae mineralibus, quas examinauit, ſimillimae.
p. 107. In quo negotio maxime operoſae ſunt deſtillatio,
et cura, vt ingredientium pondera quam exactiſſi-
me eas rationes habeant, quae in naturalibus aquis
p. 109. obſeruantur. Itaque faciliores methodos deſcribit,
omiſſis etiam calce et gypſo, quas res, ſi non noc-
vas, certe nihil facientes ad harum aquarum vſum
p. 110. medicum exiſtimat. Sintne aquis ſuis artificialibus
eaedem omnino vires ac naturalibus, id quidem
medi-

medicis examinandum reliquit, sibi ipsi profuisse testatur. Multa alia huc pertinentia adiungit, denique de thermarum Carolinarum aquis examinandis consilia edit. p. 120.

3. AXEL BERGENSTJERNA instrumentum describit, *grauitatibus specificis solidorum ponderatione hydrostatica reperiundis*. *Rosenberg*, instrumentorum fabricator, fecit ad imitationem eius, quod pro fluidis examinandis in commentariis CIↃIↃCCLXX describitur. Simile est cognito illi, quod araeometrum *) vocant, ponderibus adiectis ad eandem semper notam deprimitur, corpore ipsi supra aquam incumbente, aut dependenti ab instrumento lanci, intra aquam imposito. Id exactius multo praedicat Noster, bilancibus hydrostaticis, etiam a physicis celebrioribus, vt MVSSCHENBROEKIO adhibitis, et grauitates metallorum specificas, prout illas reperit, exhibet. p. 122.

4. *Modum*, *Sal Benzoës obtinendi*, docet CAR. WILH. SCHEELE. Coquitur Benzoë cum calce viua. Ita particulae calcis, dum se particulis benzoës interserunt, impediunt, quo minus hae a calore coeant, calce vero, etiam in partes resinosas Benzoës agente, hac via sal extrahitur eadem copia, ac ope destillationis, 12 aut 14 drachmae ex libra Benzoës. Id sal omnino liberum est ab oleo empyreumatico, quod floribus Benzoës consueto more paratis adhaeret. Enchireses distincte describit. p. 128. p. 130.

5. *Motum singularem aquae in lacu Hjelmar* describit Cl. OLAVS STRANDBERG. Transuersus lacui ab austro ad boream puluinus porrigitur, varie inflexus. Flante vento vehementiori in directione illi huic perpendiculari, etiam paulo postquam p. 133.

*) vid. comm. nostr. Vol. XIII. p. 377.

ceſſauit ventus tendit fluxus aquae ad partes pulvino illis, vnde ſpirauit ventus, oppoſitas, occidentales, ſi ventus orientalis fuit. Id tribuit Noſter aquae a vento ad littora lacus congeſtae et poſt recedenti. Simul ille fluxus magnam copiam piſcium verſus Iſthmum defert, vt id phaenomenon plurimum proſit piſcatoribus.

p. 138. 6. *Tabulam lacus Hjelmar* CIↃIↃCLXXI deſcriptam edit Cl. NIC. MARELIVS, vbi puluinus ille exhibetur figura fere rectilinea, cum Cl. STRANDBERG varie curuam poſuiſſet. Itaque et de fluxus illius cauſſis et conditionibus aliter Cl. MARELIVS ſentit.

p. 140. 7. *Agrum quendam in accliui collis lapidibus obſitum* deſcribit IAC. SERENIVS.

p. 142. 8. *De arbore Sago proprias obſeruationes* edit CHRIST. HENR. BRAAD, Sup. Soc. Ind. Or.

p. 144. Cum primo progerminat haec palma Cycas, ſatis ſimilis eſt aliis palmis, ſed adultior plurimum differt. Altitudinem vlnarum XVI aut XX attingit; folia pinnata, oblonga, verſus extremitates acuminata, quibus Indi ad domos tegendas vtuntur. Rami inferiores paullatim ſicci decidunt, dum arbor in altitudinem creſcit, quod ex iis reſtat, rudem et ingratum oculo ſuperficiem arboris efficit. Medulla eſculenta interius arboris ſpatium inde a radice ad verticem replet, magis albeſcens, dum aetas arboris creſcit. Natura arbor diametro eſt trium aut quinque quartarum vlnae, anno octauo aut decimo aetatis, vbi flores et fructus tulit, quos Noſter quidem nunquam vidit. Fructus paruos eſſe rotundos, non eſculentos, retulerunt Maleyenſes. Securi caeditur arbor, poſt paucos ictus proprio pondere ruens. Optime prouenit in locis paludoſis. Caeſa arbore,

re, et demto cortice, medulla tranſuerſim ſecatur, vt obtineantur diſci circiter tres vel quatuor digitos craſſi, hi rurſus in partes minores ſcinduntur, et farinaceum, aqua adhibita, exprimitur et ſeparatur. *Album Sago*, quod vocant, ex fabarum ſpecie praeparant, ſed ipſi deeſt glutinoſum medullae arboris. Medullam absque vlla praeparatione comedi non vidit, neque ſuccum ex arbore elici. Forte, qui hoc ſcripſerunt, pro hoc ſucco illum acceperunt, qui, vt notum eſt, ex aliis palmis elicitur.

9. *Theoremata ad ſectiones coni in plano con-* p. 148.
ſideratas pertinentia alia ratione demonſtrat Cl. L. MELDERCREVZ.

10. *De lue pecora et homines infeſtante in Finnlan-* p. 149.
dia CIↃIↃCCLXXIV, refert Cl. IO. LAVR. ODHELIVS. Edidit inprimis relationes Medicorum prouincialium ZANDTII, BEYERSTENII, BJÖRNLVNDII. A pecoribus ad homines infecta, vel mortua tractantes, migrabat halitu, ſputo, pure, ſanguine. Naſcebantur p. 151.
puſtulae in facie, aut artubus, quas tumor ſequebatur, ex quo natae veſicae liquorem rubrum, aut flaveſcentem ruptae effundebant. Plerique nullam febris vehementiam ſenſerunt, de laſſitudine et delirii initiis queſti. Aliqui tamen mortui. Cauſſam p. 154.
luis in pecoribus incolae et medici crediderunt eſſe temperiem aëris ſiccam, aquae defectum, et adeo paſtus; aliqui a furia infernali natum morbum crediderunt, Cl. ODHELIVS vero alias cauſſas, quam quae ſunt febrium putridarum, quaerendas non exiſtimat. De furiae infernalis ipſa exſiſtentia cum du- p. 155.
bitetur, optat Academia, exhiberi ſibi, quae forte illa de re certiora ſciantur. Animal ipſum in ſpiritu vini, aut alio modo aſſeruatum, vt examinari queat, exhibituro, praemium decem aureorum nummorum Hollandicorum valore promittit.

11. *Ob-*

11. *Obſeruationes thermometricas* Londini Sectorum 1753-1773 habitas, edit Cl. OLAVS NEVZELIVS.

p. 169. 12. *De aqua rubra Oceani* Cl. PETR. IO. BLADH. Talem reperit prope inſulam Sumatram Indiae Orientalis. Littus ibi parum eleuatum eſt, vt, dum fluxu vrgetur, mare in ipſas ſyluas penetret. Reperit vero hauſtam aquam marinam plenam particularum minimarum, quae referebant fruſta foliorum arborum coniferarum, quae germanice *Nadeln* vocant. Itaque credit illi aquae marinae ineſſe acidum, alcalino non ſaturatum, quod cum vegetabili ſucco colorem rubrum procreet. Alias obſeruationes ad colorem maris pertinentes addit.

p. 173. 13. *De Phaenomeno terrae motui omnino ſimili* refert Cl. BERNH. BERNDTSON.

p. 179. 14. *Quoties Skarae tonitrua audita ſint* 1754-1774, refert CLAVD. BJERKANDER.

Trimeſtre tertium.

p. 183. 1. Cl. ERICVS PROSPERIN *de minimis Cometarum ab orbita telluris diſtantiis.* Diſſertatione Vpſaliae CIↃIↃCCLXXIII habita de inueniendis punctis proximis parabolae et circuli formulas exhibuit, quas iam applicat Cometis, quorum orbitae cognitae dici poſſunt numero 63; vltimus eſt anni CIↃIↃCCLXIV, locum cometae cuiusuis in orbita ſua, cum orbitae telluris proximus fuit, item telluris eo tempore locum exhibet. Generale ex his computis conſectarium eſt, nihil metuendum eſſe telluri a Cometis.

p. 206. 2. *Hepar ſulphuris in metallurgia* commendat Cl. GVSTAV. AB ENGESTRÖM. Cum ſulphure metallis

talla facile ſoluantur, praeferendum tamen iis ſolutionibus inſtituendis hepar docet, quod plura metalla ſoluat, quam ſulphur, facile a regulo ſeparetur, minus volatile ſit ſulphure, neque crucibula adeo arrodat, nec perfodiat cum lapidibus melius in ſcorias abeat. Hepar cum frequenter adhibeat, nunquam tamen futuro vſui praeparat, cum facile eo tempore, quo illo opus eſt, conficiatur; illi ſcopo miſcet ſulphur et alcali, tartarum vitriolatum, ſal mirabile GLAVBERI, carbones in puluerem redactos, fel vitri, caput mortuum, quod poſt aquae fortis deſtillationem ſupereſt cet. Ex omnibus metallis ferrum vehementiſſime ab hepate attrahitur: igitur ſoluta in hepate ferro commode praecipitantur. Quod inprimis idoneum eſt auro et argento reſtituendis, cum apud aurifabros quiſquiliis intermixta ſint. Qua quidem methodo minoribus impenſis metalla pretioſa obtinentur, quam huc vſque vſitatis. Ea de re vberius ſcripturum ſe promittit. Metallis, quae mixta habentur, ſepa randis quomodo hepar inſeruiat, docet. p. 209. p. 210. p. 218.

3. *De natorum et mortuorum Holmiae vrbis numero* refert Cl. EDVARD. FRID. RVNEBERG. Numerum vrbem habitantium 70042 reperit, quorum circiter 21 aut 22 quotannis moritur, quam mortalitatem maiorem, quam ſolet eſſe in aliis vrbibus magnis, tum politiae erroribus quibusdam adſcribit, quos diſtincte non enumerat, tum vitiis, quae et corpora debiliora reddant, et progeniem deteriorem; illegitime nati quotannis habitantium partem 188 aut 189 conſtituunt. Inſitione variolarum vſu recepta pauciores variolis, aut morbillis pereunt. Morbus, quo plurimi intereunt, phthiſis eſt, potens in climatibus frigidioribus. Puerperarum plurimae, quae perierunt, intra annos aetatis p. 221. p. 225. p. 226. p. 225. p. 228. p. 229. p. 234.

30–35

p. 235. 30–35 conſtitutae fuerunt. Partuum circiter pars 82 vel 83tia matribus lethalis. Multi infantes intereunt morbis, quos *ignotos* appellant parentes, et qui infantibus adſunt.

p. 236. 4. *Figuras pruinae* delineat et *obſeruationes varias ad pruinam* pertinentes edit Cl. CLAVD.
p. 244. BJERKANDER. Pruinam, dum frigore ſeueriore ingruente arbores tegit, ſuſpicatur contra vim frigoris illas tueri, vt nix plantas humiliores defendit.

p. 245. 5. *Obſeruationes in crypta Neapolitana* Grotta del cane *inſtitutas* edit Cl. ADOLPH. MVRRAY. Variis tentaminibus expertus eſt, vapores mephiticos cryptae nihil aliud eſſe, quam acidum aëre fixo
p. 249. diues. Qui aër fixus quomodo generetur, hypotheſin modeſte proponit.

p. 254. 6. *Pneumora*, *nouum inſecti genus*, deſcribitur a Cl. CAR. PET. THVNBERG. Habitat in Capite Bo-
p. 256. nae Spei; generis characteres ſunt: Os cum maxillis, elytrae et alae membranaceae depreſſae; pedes curſorii, corpus vacuum inflatum (vnde nomen generis) pellucidum, inter hemiptera collocandum poſt Blattas. Ruſtici capitis vocant: *Windvlieger*, it. *Blaasops* inflatum. Subiuncta deſcriptioni, notula monet, vlteriori examini relinquendum eſſe, num Pneumora, ſeparatum a Gryllis genus efficiat.

7. *Laruas muſcae carnariae in alueari repertas, vbi apibus mortuis veſcebantur*, refert Cl. CLAVD. BJERKANDER.

Trimeſtre quartum.

p. 263. 1. Cl. CAR. WILH. SHEELE, *de arſenico et eius acido* agit. Vnciis duabus arſenici albi, tritura in morta-

mortario vitreo in puluerem redacti, ſuperfundit vncias ſeptem ſpiritus ſalis puri, mixturam in vaſe retorto vitreo, cui luto iunctum eſt vas recipiens, leniter coquit, vt arſenicum ſoluatur: ſolutioni adhuc calidae affundit vncias tres cum dimidia ſpiritus nitri puri, item acidum, quod in recipiens vas tranſierat. Rurſus apponit recipiens, ſed luto non iungit. Effervescit mixtum et tranſit nitri ſpiritus volatilis ruber; continuatur leniter deſtillatio, donec rubedo nulla amplius appareat, tunc rurſus additur vncia arſenici tritura in puluerem redacti, recipiente appoſito coquitur, donec et hoc ſolutum ſit. Denuo affunditur vncia cum ſemiſſe ſpiritus nitri, rurſus exeunt vapores rubri, recipiens apponitur, et mixtura deſtillatur ad ſiccitatem, reſidua manet maſſa alba, ſub finem augetur ignis, vt materia candeat. Retorto vaſe refrigerato frangitur, eximitur maſſa candida, ſeruatur in vaſe vitreo bene clauſo, nomine acidi arſenici ſicci. Vel ſolutum in aqua deſtillata ſeruatur in vaſe bene obturato, nomine acidi arſenici. Hoc acidum quomodo ſe habeat ad phlogiſta, ſalia, mineralia, refertur.

2. *Duas nouas diantherae ſpecies* deſcribit Cl. ANDR. IOH. RETZIVS, Bot. Demonſtrator Acad. Lundenſis. *Altera, cui Bengala locus natalis eſt*, dicitur ipſi *D. tetrandra*, floribus ſolitariis axillaribus, tetrandris; altera, ex Malabar allata, *D. bicalyculata* fl. paniculatis, bycalyculatis, paniculis dichotomis. Plantas magnitudine naturali delineatas exhibet. Synonyma exhibere non poteſt, quod RVMPHIVS, RHEEDE, HERMANNVS ipſi deſint. p. 298.

3. *Animaduerſiones ad* Cl. EKEBERGII *obſeruationes inclinationis acus magneticae* exhibet Cl. IO. CAR. WILKE; inprimis inſtrumenta illis adhibita deſcribens. p. 298.

4. *Ipſa-*

p. 306. 4. *Ipſarum obſeruationum* EKEBERGII *compendium* editur. Inſtitutae ſunt in itinere marino Chinenſi, et reditu, CIↃIↃCCLXXIV.

p. 314. 5. Cl. LEONH. HORNEMANNVS deſcribit *fornacem frumentis et maltho ſiccandis* illo igne, qui ad ferrum tractandum in officinis fabrorum adhibetur.

p. 317. 6. *De fuligine, tritici morbo*, agit Cl. CLAVD. BJERKANDER; plantas recenſet, in quibus eundem morbum reperit. Scorzoneram humilem, Bromum ſecalinum, Hordeum vulgare, Auenam ſatiuam, Triticum hybernum. Noſter ad morbi naturam inueſtigandam varia tentamina inſtituit, ex quibus haec col-
p. 323. ligit: Naſci cum prodiit ariſta, non ante, morboſum hunc ſtatum citius ad maturitatem peruenire, tritico ſano: Eſſe odore nauſeoſo, qui plerumque, dum matureſcit, abeat. Deinde quaeſtiones varias proponit et coniecturas, quae etſi rem non conficiant, viam tamen oſtendere poſſint, propius ad verum accedendi. Suſpicatur morbum ab impotentia partium genitalium ad propagationem naſci. Eſt vero vitium, quod Germani: *Brand im Weizen* appellant. In Actis Acad. CIↃIↃCCLXXI, abietum ramuli tritico ſationi deſtinato immittendi commendantur. Id hic experientia confirmatum refert Academia. BJERKANDER, cum cauſſa effectus nulla appareat in abietum ramulis, in eo quaerendam putat, quod grana ſationi deſtinata ſicciſſima facta fuerint, dum per integram aeſtatem in granario ſeruabantur.

p. 330. 7. *De filicum ſpeciebus* Cl. BEN. QVIST ANDERSSON. Quae antiqui de filicum, inprimis nobiliorum, colore, luce cet. tradiderunt, eorum quaedam, vt ipſe expertus eſt, narrat. Rubinum, Sapphiros, Carbunculum, in manibus habuit, planos ab

vno

vno latere, conuexos ab altero; luci ſolis aut flammae expoſiti, alii tam reflexione, quam refractione, alii vna ſola harum conditionum, aſteriſmos elegantes oſtenderunt. Quae ad Aſterias antiquorum pertinent. Deinde varios lapides deſcribit, qui colores elegantes vel ſolitarios, vel qui iridis ſunt, oſtendunt.

8. Cl. ADOLPHVS MVRRAY obſeruationes p. 338.
edit in *Stuffe di San Germano* prope *Lago d' Agnano* Neapoli inſtitutas. Camerae ſunt ex topho Vulcanico conſtructae 50 circiter paſſus a *crypta*, quae *canis* dicitur, muro ex eodem topho circumdatae, cuius ſuperiori ſuperficiei planae ſudatori incumbunt, qui rheumaticos dolores, aut morbi venerei reſidua ita leuatum iri ſperant. In cameris calor eſt 25 vel 30, imo 40 graduum Reaumurianorum. In muri ſuperficie efflorescens puriſſimum ſal collegit, quod ſolutum, inſpiſſata ſolutione, cryſtallos aluminis exhibuit. Itaque de aluminis hoc loco generatione agit, et quaedam inprimis a Cl. FERBERO iam dicta confirmat, vt lauam, quam vocant, vaporibus ſulphureis expoſitam in argillam abire, acidum ſuperfluum argillae vnitum alumen generare. Prope Veſuuium fruſtum ſalinum reperit, lauae in argillam mutatae adhaerens, in quo alumen, ſal ammoniacum et ſal mirabile GLAVBERI mixta reperiebantur. In alio fruſto infimum locum occupabat vitriolum martis, ſequebatur alumen terrae mixtum, deinde ſali GLAVBERI mixtum ſal ammoniacum, ſupremum locum occupabant copioſi flores ſulphuris.

9. Cl. AND. IOH. HAGSTRÖM *tentamina cum* p. 344.
balſamo populi balſamiferae inſtituta. Variis locis circa Holmiam plantata arbor reperitur. De bal-

ſamo eius, in Carolina, in Gallia, in Sibiria, loquuti ſunt CATESBY, DU HAMEL, GMELIN. Eſt vero reſina, exſudans ex gemmis foliiferis, non ex floriferis; commode colligitur initio veris poſt dies, quibus ſol ſplenduit, item Auguſto menſe ex nouis, quae tunc prodeunt gemmis, cochleari tenui abradi po-
p. 346. teſt. Flaua eſt, colore gummi guttae, ſed limpida ſplendens craſſa, vt butyrum, viſcida, odore et ſapore Rhabarbari, ſimul vero guſtum calore et velut ardore afficit. Igne liquatur, intumeſcit, accenditur, combur.t, carbonem nigrum relinquens. Chartae illita colore flauo illam obducit, ſplendet, manui tangentis adhaeret. In aqua non ſoluitur, niſi ante in aqua gummi Arabicum ſolutum ſit. Cum amygdalis emulſionem praebet. Facile ſoluitur in ſpiritu vini. Tinctura eſt odore rhabarbari, ſapore ardente reſinoſo. STELLERVS ap. GMELIN. Flor. Sibir. T. I. p. 153 medicos vſus recenſet, quibus Ruſſi illam adhibent, eos Noſter experiri nondum potuit.

p. 349. 10. Ex litter's Cl. AD. MVRRAY Vienna datis refertur, quae *ad Platinam pertinentia* Cl. INGENHOUZ reperit et vberius Societati Britannicae miſit.

p. 350. 11. Cl. THVNBERG LINNEO ſcripſit *Hydnorum*, de qua Trimeſtri primo art. VI. actum eſt, non ad fungos pertinere, ſed ad Monadelphiam, vberiorem deſcriptionem daturus, cum fructum viderit.

II.

ALBERTI VON HALLER bibliotheca anatomica, qua ſcripta ad anatomen et phyſiologiam facientia a rerum initiis recenſentur. Tomus II. ab anno CIↃIↃCCI ad CIↃIↃCCLXXVI. Tiguri, apud Orell, Geſsner, Fueſsli et Socios, CIↃIↃCCLXXVII. Alph. 4. plagg. 17. 4.

Octauum huius bibliothecae librum, qui primus in hoc volumine eſt, et *doctior Anatome* inſcriptus, ordiri primum HALLERVS a MORGAGNO voluit; qui verus doctae anatomes ſit auctor, et cum quo comparandarum varietatum, diligentisque lectionis cum multa funerum inciſione coniunctae ſtudium fere originem ceperit; at vero, quum, typographi potiſſimum precibus motus, in primo volumine *) nulla, quae decimo octauo ſeculo prodierunt, ſcripta laudauerit, ab ANTONIO PACCHIONO, Profeſſore Romano, eiusque operibus alterum tomum exordiri fuit coactus.

Conſtat autem, PACCHIONVM omne fere ſtudium in eo collocaſſe, vt ſtructuram durae matris indagaret, vſumque eiusdem definiret. Quam ob p. 3. rem laborum ſuorum fructus, librum ſcilicet *de durae meningis fabrica et vſu*, Romae CIↃIↃCCI edidit, in quo fibras inprimis, quas contractiles eſſe opinabatur, cum falcis, tum tentorii, et caudicis ſeu falcis cerebelli, interiorisque cauae faciei durae matris deſcripſit, iconibusque nitide, nec remote a vero, expreſſit. Superſtruxit deinde huic fabricae hypotheſin, qua tentoria, vt cerebrum comprimant, alternis vicibus duram matrem eleuare, viciſſimque, vt cerebellum vrgeant, contractum caudicem de-

*) vid. ſupra p. 39.

ducere ſtatuit, eamque experimentis nonnullis, quibus irritabilem durae membranae naturam euinci ſibi perſuaſum habebat, ſtabilire allaborauit. Quo magis vero multis haec opinio ab aliorum obſeruatis videbatur recedere, hoc plures PACCHIONVI nanciſcebatur aduerſarios, qui neque nouam hanc doctrinam eſſe, neque experientiae conſentaneam perhibebant. Qua de re nouis eam argumentis Auctor probabilem reddere, variisque diſſertationibus BIANCHO, FANTONO, MERYO, cet. inſcriptis dubia horum virorum diluere ſtuduit.

p. 6. IOH. WILHELM. PAVLI, Anatomiae et Chirurgiae primum, deinde Pathologiae apud nos Profeſſor, nonnullos de reſorbentium ventriculi vaſorum, glandularumque humani corporis fabrica et vſu libellos reliquit, et *opuſculis anatomico-chirurgicis* IOH. VAN HORNE, quae Lipſiae CIↃIↃCCVII edenda curauit, praefationem, notasque adiunxit, quibus nuperorum inuenta continentur. Experimentis, quae ipſe inſtituerat, fuit edoctus, reſorbentia ventriculi vaſa, quae VIEVSSENIVS deſcripſerit, inorganicorum pororum naturam habere; aquam per membranarum poros Wolfiano etiam ſiphone vi-

p. 13. geri poſſe, cet. In IACOBI HOVII *de circulari humorum ocularium motu* diſſertatione *), praeter ſubtilitates, erroresque varios, bona etiam atque vera, velut longarum arteriarum, quas ſeri fontes vocat, circuli arterioſi vueae, retium circa opticum neruum, fabricae proceſſuum ciliarium, cet. deſcriptiones inſunt. Ad ſua tentamina HOVIVS brutorum animantium corporibus ſolummodo vſus eſt.

p. 20. ANTON. MARIA VALSALVA, MALPIGHII diſcipulus et Bononienſis Profeſſor, in ſuo *de humano aure* tractatu, qui primum Bononiae CIↃIↃCCIV prodiit, et deinde cum MORGAGNI epiſtolis Venet. CIↃIↃCCXL

*) Traiecti CIↃIↃCCII, 4. Leidae CIↃIↃCCXXVI, 8.

CIↃIↃCCXL recusus est, auditus organon prioribus dissectoribus subtilius perquisiuit, multaque addidit iis, quae aliorum opera de hac parte cognita fuerant reddita. Sic tubae figuram et musculos accurate descripsit, eaque occasione simul pharyngis, velique palatini multo numerosiores musculos, quam numerari solebant, recensuit; porro aliqua tympani vasa, minores a duro pari ortos neruulos, cet. laudauit. De occipitali vena fuse egit, pulposoque membranae, cui *zonarum* nomen dedit, meminit. Posthumis VALSALVAE opusculis, Venet. CIↃIↃCCXL impressis, variae ad oculi, arteriae aortae, intestini coli, cet. anatomen spectantes obseruationes continentur, chirurgicae vero, quas reliquit, publici iuris nondum redditae sunt.

In musculorum anatomen multa sunt IOH. DOMINICI SANTORINI, Veneti, merita; nam subtilius, quam pene quisquam, scalpello vsus est, et minutissimas quasque carnes distinxit. Primum eius opus, *de structura et motu fibrae, de nutritione animali, de haemorrhoidibus et catameniis* inscriptum, prodiit Venet. CIↃIↃCCV, saepeque mox seorsim, mox cum BAGLIVI operibus recusum est, *anatomicae* autem *obseruationes* primum Venet. CIↃIↃCCXXIV, deinde Leidae CIↃIↃCCXXXIX impressae sunt. Vterque liber dignissimus lectu est, tametsi posterior, propter innumera noua inuenta, quae continet, priori, maiorem laudem meretur; etenim minutissimorum carnosorum fasciculorum, quos ne nuperrimi quidem, iique solertissimi incisores in aure, pharynge, facie, naso, partibus ano vicinis, cet. assequi potuerunt, descriptiones, quemadmodum etiam de cerebri, aliarumque partium venis, de diaphragmatis, cordis, medullaris cerebri substantiae, cet. structura praeclaras obseruationes complectitur, quae SANTORINO subtilissimi incisoris nomen vin- P. 23.

p. 714. dicant. De GIRARDI in posthumas SANTORINI tabulas studio nuper sumus locuti *).

p. 34. Inter diligentissimos incisores IACOBUS DOUGLASIUS referendus est, qui, etsi pauca tantum laborum suorum specimina reliquit, insignem tamen sceletorum, ossiumque varia ratione dissectorum, collectionem eam ob rem sibi parauerat, vt in conscribendo magno de ossibus opere, quod promiserat, vti eadem posset; hinc eo magis dolendum est, hunc librum non prodiisse, quo certior erat spes, fore, vt DOUGLASIUS absolutum super ossium natura opus ederet. Ceterum de musculis et peritonaeo quae reliquit, ea dexteritatis Douglasianae in dissecandis funeribus multa testimonia continent, suntque eapropter vel nostris temporibus lectu dignissima.

p. 34. IOH. BAPT. MORGAGNVS, VALSALVAE discipulus et Primarius apud Patauinos Professor, anno CIↃIↃCCVI Bononiae primum opus, idque *Aduersaria anatomica prima* inscriptum, edidit, quod nouorum inuentorum plenissimum est; nam glandularum minorum laryngis et sebacearum faciei, nympharum, ani, cet. pororum vteri menses fundentium, situs tubarum, viarum lacrymalium, caruunculae, glandulae thyreoideae, aliarumque humani corporis partium descriptiones complectitur, quae cum a summa auctoris ἀκριβεια, tum a sermonis elegantia magnam habent commendationem. Ceterum insecuti sunt annis CIↃIↃCCVII et XIX reliqui aduersariorum fasciculi, in quibus MORGAGNUS BIANCHI potissimum atque MANGETI errores emendauit, simulque permultas anatomicas obseruationes, easque praeclaras cognitas reddidit. Libri quinque *de sedibus et causis morborum per anatomen indagatis*, (Venet. CIↃIↃCCLXI), ad

*) Conf. Comment. nostr. Vol. XXII. P. IV. p. 645.

ad practicam anatomen potiſſimum ſpectant, epiſtolae vero, quas VALSALUAE operibus MORCAGNVS adiunxit, ad aliquas Praeceptoris ſui voces ita reſpiciunt, vt cum infinita et plerumque ſubtiliora ſummi viri anatomica experimenta contineant, tum omnem tradant cuiusque particulae, vt paulatim a variis ſcriptoribus aut perfecta ſit reddita, aut per errores corrupta, hiſtoriam. Ceterum ſcripſit etiam adverſus BIANCHVM, qui de bilis officina, eiusque ductibus vehementer cum MORGAGNO litigauit, duas epiſtolas *), in quibus variae ad harum partium anatomen ſpectantes obſeruationes inſunt **).

Inter Wittebergenſes anatomes doctores hoc p. 41.
ſeculo ABRAHAMVS VATER, CHRISTIANI Fil. eminuit, qui cum RVYSCHIO praeceptore fuiſſet vſus, incidendorum, iniiciendorumque funerum artem ſummo ſtudio excoluit, eamque libellis variis, qui annis CIↃIↃCCVII-L prodierunt, illuſtrauit. Erroneas, quas primum in diſſertationibus quibusdam defenderat, de coeco linguae foramine, bilisque diuerticulo opiniones ipſe in *Muſei anatomici proprii* deſcriptione (Helmſtad. CIↃIↃCCL) emendauit, faſſusque eſt, coecum linguae foramen ſaepe papilla farciri, et bilis diuerticulum pancreatici ductus ramos eſſe, cet. Vberius de geſtis VATERI rebus olim diſſeruimus ***).

LAVRENTIVS HEISTERVS, RVYSCHII pari- p. 52.
ter diſcipulus, anatomes et chirurgiae peritus fuit, ſuisque laboribus ad magnam famam peruenit; nam multa eorum, quae ſcripſit, a medicinae cul-

*) Prodierunt Leidae anno CIↃIↃCCXXVIII, curante BOERHAAVIO.

**) Plura de MORGAGNI ſcriptis, meritisque v. comment. noſtr. Vol. XX. P. IV. p. 131.

***) Conf. Comment. noſtr. Vol. I. P. II. p. 339.

toribus fuerunt recepta. Inter anatomica eius opera introductio in anatomen, siue *Compendium anatomicum*, quod ex variis disputationibus antea ab HEISTERO defensis natum est, potissimum commemorari meretur, quippe in quo accuratae partium humani corporis descriptiones, et noua varia inuenta, eaque bonis iconibus illustrata, insunt. Ceterum, praeter permultas academicas disputationes varias etiam cum anatomicas, tum chirurgicas obseruationes descripsit, quae *Actis Academiae Naturae Curiosorum* insertae sunt *).

p. 74. Anno supra millesimum septingentesimum vndecimo primos suos commentarios Francogallicae scientiarum academiae inferendos IACOBUS WINSLOWUS curauit, qui, mutata religione, BENIGNI, nomen a BOSSUETO adoptauit. Simplex fuit et superstitiosus vir, laboris tamen sui pertinacia in magnum inciforem euasit. Praecipua eius merita duo sunt. Etenim cum priores anatomici incidendas humani corporis partes e funere plerumque eximerent, ita vt situs, nexusque earum cum vicinis partibus conspici non posset, et ipsa saepe figura, remoto omni celluloso contextu, mutaretur; WINSLOWUS alia, eaque aptiori via progressus est, omnesque partes in situ suo, nexuque cum aliis descripsit. Praeterea plerasque molles partes in limpida aqua est contemplatus, in qua sibi permissi flocculi libere fluctuent, et minuta quaeque elegantissime conspicienda praebeant. In dissertationibus, quae actis Academiae scientiarum insertae sunt, de musculorum, ossium, viscerum, cet. structura et vsu; de monstris, de secretione, cet. egit, omnem autem anatomes ambitum magno suo, eoque egregio opere **), quo omnia priora compendia in plerisque

*) vid. Comment. nostr. Vol. VII. P. IV. p. 724.

**) Prodiit Paris. CIↃIↃCCXXXII, et saepissime recusum, inque alias linguas versum est.

risque anatomes partibus ſuperata fuerunt, complexus eſt. Ceterum hic liber, qui communis fere fons eſt, ex quo nuperiores et Galli potiſſimum ſuam anatomen repetierunt, compendium quaſi eſt maioris operis, quod elaborandum ſibi WINSLOWVS ſumſerat, quod vero nunquam prodiit *).

IOH. BAPTISTA BIANCHVS, Turinenſis Profeſſor, edidit, valde adhuc iuuenis, libellum *Hiſtoria hepatica* (Turin. CIↃIↃCCXI) inſcriptum, in quo, praeter alia, GLISSONII capſulam contractili vi gaudere, ductus hepaticyſticos dari, bilis copiam eſſe parciſſimam, cet. docuit, aliosque paſſim admiſit errores, quos cum MORGAGNVS emendauiſſet, BIANCHVS in noua editione tueri conatus eſt; etenim vix vllis argumentis errorum ſuorum convinci poterat. Aduerſus HALLERVM epiſtolas ſuper ſenſibilitate et irritabilitate partium hominis atque brutorum Italico ſermone ſcripſit, in quibus ſibi perſuaſum eſſe fatetur, totum humanum corpus neruis conſtare et ſentire, atque etiam irritabilitate gaudere, hancque ipſam virtutem non nouam eſſe, neque inſenſilem quarundam partium naturam, quae GALENO non fuerit ignota, cet. p. 78.

AVGVSTINVS FRIDERICVS WALTHER, Medici Ordinis in noſtra litterarum Vniuerſitate quondam Decanus, cum docendo, tum ſcribendo anatomen valde amplificauit; etenim, vt nihil de ſummi viri anatomicis praelectionibus dicamus, quas ab eius diſcipulis, qui apud nos ſuperſunt, ſaepenumero laudare audiuimus, in multis opuſculis varias humani corporis partes accurate deſcripſit, iconibusque ſubtiliſſima quaeuis illuſtrauit. In libello *de humana lingua* (Lipſ. CIↃIↃCCXXIV), qui occaſione Coſchwiziani de nouo ſaliuali ductu opuſculi ſcriptus eſt, minores Riuinianos ſublingua- p. 87.

*) vid. Comm. noſtr. Vol. XIV. P.IV. p. 583.

lis glandulae ductus seorsim apertos, et alios maiores Bartholinianis magis similes confirmat, simulque de glandulis postremi dorsi linguae, de foramine coeco, de aliquibus imi laryngis poris, cet. disputat, et recte sublingualem glandulam cum maxillari continuari monet. In aliis operibus diligenter versatus est in carnibus, ligamentisque pedis, prout etiam in tenuioribus faciei, pharyngis, vuulae, genitalium, aliarumque partium musculis, vasis, neruis, cet. describendis, depingendisque, et suis laboribus omnino meruit, vt ab HALLERO inter accuratos, diligentesque incisores referretur. Ceterum plurimos Waltherianorum libellorum HALLERVS recudendos curauit.

p. 98. Multum in humana anatome etiam CHRISTOPH. IACOB. TREWIVS, Lauffae in Noribergensi ditione natus, laborauit, annisque nouemdecim non maior in libello *de chylosi fœtus in vtero*, (Altdorf. CIↃIↃCCXV), iam proprias annotationes de vmbilicalis et portarum venae nexu, de sesamoideo poplitis et minimi digiti osficulo, de rugis et cellulis cystici ductus, cet. attulit. Reliquas anatomicas obseruationes, quas calamo exceperat, cum *Actis Acad. Nat. Curios.* tum *Commercio litterario Norico* inserendas curauit, aduersus COSCHWIZII ductum autem in quadam Epistola ad HALLERVM (Noriberg. CIↃIↃCCXXXIV) disputauit, et in peculiari libello (*de differentiis quibusdam inter hominem natum et nascendum intercedentibus*, Noriberg. CIↃIↃCCXXXVI) varia fetui propria multo studio, numerosissimisque iconibus expressit *).

p. 101. IOH. ZACHAR. PLATNER, Lipsiensis medicae facultatis Decanus et Professor, chirurgiae potissimum operam dedit, multum tamen in rimanda humani corporis structura etiam versatus est, variasque

*) vid. comm. nostr. Vol. XV. P. IV. p. 712.

que disputationes et programmata, in quibus de anatome agitur, reliquit. Sic musculum digastricum, eiusque varietates descripsit, et de ossium conformatione atque colore, de motu ligamenti ciliaris in oculo, de damno ex neglecta anatome in medicinam redundante, de ossium epiphysibus, cet. ita expossuit, vt non possit non summis laudibus extolli. Ceterum haec, reliquaque summi viri academica opuscula filius eius natu maior, FRIDERICVS, iurium apud nos quondam Professor, coniunctim edenda curauit, iisque de vita Patris relationem annexuit.

Inter summos anatomicos BERN. SIEGFR. ALBINVS referendus est, qui cum ex BOERHAAVII commendatione, vicenario non maior, in RAVII locum fuisset suffectus, ea felicitate fruitus est, vt ab anatomicis laboribus a nullo alio officio auocaretur, iisque solis per quinquaginta integros annos incumbere posset. Hac autem opportunitate eo vsus est, vt secandi solertia, vasorum artificiose replendorum studio, laborum assiduitate, pictorumque optimorum facultate anatomen valde amplificaret, et in ossium potissimum, musculorumque historia omnes priores incisores superaret. Praeterea in viscerum fabrica multa etiam prioribus accuratius vidit, immensisque operibus anatomicam rem ditauit. Etenim tempore, quod a studiosorum institutione sibi liberum seruauerat, magna cum cura musculorum potissimum in ossa insitiones metiebatur, et stygio quodam liquore ossibus ipsis inurebat; hos musculos deinde cum VESALII, EVSTACHII, et fere priorum scriptorum iconibus et historiis comparauit, et a peritissimo artifice curauit delineari. Hinc factum est, vt longe pleniorem, quam omnes priores, ne WINSLOWO quidem excepto, reliquerant, musculorum hominis historiam

Lib. IX. p. 126.

riam daret, in qua quisque muſculus abunde deſcriptus, ludentis naturae varietates annotatae, muſculi minus perpetui ſollicite recenſiti, burſae adipoſae muſculis, aut tendinibus ſubiectae et aponeuroſes ſuis locis commemoratae, ſynonymaque, quibus varii auctores vſi ſint, addita habeantur. De oſſibus *), vtero grauido, cet. ſplendidas tabulas reliquit, et in anatomicarum annotationum libris **) varias, easque lectu digniſſimas obſervationes cognitas reddidit, quae illuſtria praebent dexteritatis Albinianae teſtimonia. CHRI-

p. 149. STIAN. BERN. ALBINVS, Vltraiectinus Profeſſor, nouam exhibuit tenuium hominis inteſtinorum deſcriptionem (Leid. CIↃIↃCCXXII), in qua inuerſum inteſtinum inflare docuit, et in alio Academico libello *de anatome errores in medicis prodente* (Traiect. ad Rhen. CIↃIↃCCXXIII.) diſputauit. FRID. BERN.

p. 720. ALBINI *de humana natura* librum nuper laudauimus ***).

p. 153. GEORG. DANIEL COSCHWITZ, Halenſis Profeſſor et anatomici theatri in hac Academia promotor, duabus potiſſimum diſſertationibus, quarum prima *de valuulis in vreteribus repertis* (Hal. CIↃIↃCCXXIII), altera vero *de ductu ſaliuali nouo* (ibid. CIↃIↃCCXXIV) agit, inter anatomicos inclaruit, neutra tamen plauſu fuit a diſſectoribus excepta; nam plicas in parte arctata vreterum ſubnatas pro veris valuulis, et venas pro ſaliuali ductu, HEISTERO, WALTHERO, DUVERNOI, HALLERO-que ipſo, qui praeparatam a COSCHWIZIO linguam vidit,

*) vid. comm. noſtr. Vol. IV. P. III. p. 495.

**) ibid. Vol IV. P. III. p. 453. Vol. V. P. II. p. 209. Vol. VI. P. I. p. 61. Vol. VIII. P. II. p. 257. Vol. X. P. IV. p. 645. Vol. XIII. P. IV. p. 642. Vol. XV. P. II. p. 291. Vol. XVII. P. III. p. 417. De vita ALBINI retulimus ibid. Vol. XVII. P. III. p. 543.

***) ibid. Vol. XXII. P. I. p. 162.

vidit, auctoribus, habuit. Ceterum in *Organiſmo et Mechaniſmo* (Lipſ. CIↃIↃCCXXV) STAHLII ſyſtema tradidit, aliis tamen ſuae ſectae ſcriptoribus fuit moderatior.

PETRVS SENACVS, Galliarum regis nuper primus medicus, plurimum laboris in ſuo *de ſtructura, actione, morbisque cordis* opere *), Gallico ſermone conſcripto, poſuit, cordisque anatomen de integro eſt molitus. De mediaſtino et pericardio primum dixit, quibus deſcriptis ad fibras, valuulas, vaſaque cordis propria progreſſus eſt, de quorum ſtructura atque vſu bene diſputauit, nouisque iconibus ſermonem ſuum illuſtrauit. Ceterum in actis Academiae ſcientiarum de ſubmerſis, de reſpiratione et pectoris fabrica, de diaphragmate, cet. locutus eſt, et Gallicae compendii anatomici Heiſteriani verſioni tentamina phyſica ſuper partium humani corporis vſu adiunxit. p. 158.

IOH. DE GORTER, BOERHAAVII diſcipulus, *de inſenſibili Sanctoriana perſpiratione* (Londin. CIↃIↃCCXXV) librum ſcripſit, in quo, praeter Commentarium in SANCTORIVM, KEILII, ipſiusque GORTERI obſeruationibus auctum, de vrina et muſculari motu tractatio ineſt. Boerhaauianam theoriam a decreſcentibus vaſorum ordinibus, et decreſcentibus pariter globulis ſumtam in tractatu *de ſecretione ex ſanguine* (Leid. CIↃIↃCCXXVII) defendit, in *medicis* autem *exercitationibus* de vitali motu, ſomno, fame, ſiti, et actione viuentium particulari varia dubia quibusdam BOERHAAVII doctrinis oppoſuit, et animales, vitalesque actiones in ſomno languere, eumque a ſpirituum inopia producit; in quauis fibra contractionem inſitam, eamque muſcu- p. 169.

lari

*) Hoc ipſum opus apud Gallos nunc BERTINO, SENACI amico, vulgo tribui, HALLERVS in ſupplementis huic tomo annexis pag. 775 monuit.

lari actioni oppositam, et cum hac alterne agentem, quae sit perpetuae mobilitatis humani corporis causa, esse, cet. statuit *).

p. 172. IOH. GEORG. DUVERNOI, Montisbeligardi natus, primus HALLERI in anatome praeceptor, summa diligentia animantium potissimum corpora dissecuit, variasque, praeter disputationem de ductu saliuali Coschwiziano, diatribes super lacteis vasis, chyli receptaculo, thoracico ductu, elephanti corde atque pene, ventriculis cerebri, renibus succenturiatis, ventriculo, intestinis, monstrosis partubus, cet. conscripsit, quae *Comment. Acad. Imper. Petropol.* insertae sunt. Ceterum aduersa fortuna fuit prohibitus, quo minus librorum copiam sibi pararet, eamque rerum ab aliis dictarum notitiam acquireret, qua a paradoxis opinionibus auocaretur.

p. 176. Multam laudem ALEXANDER MONROVS, anatomes in Academia Edinburgensi per multos annos Professor, suis de ossium anatomia, de neruis, alterno cordis motu, vasis lacteis, ductuque thoracico operibus, et tentamine de comparata anatome meruit, quippe in quibus accuratissimae partium descriptiones insint. In tentaminibus *circa methodum inijciendi*, (Leid. CIↃIↃCCXLI) terebinthinae oleum laudauit, simulque minutas enchireses ossibus mundissimis et albissimis obtinendis, durae cerebri membranae integrae seruandae, cet. aptas docuit. Tabulas etiam anatomicas magnae formae, easque WINSLOwo probatas, parare sibi proposuerat, haud tamen omnes absoluit; nam quatuor tantum ad HALLERVM
p. 498. peruenerunt. Filii MONROI, DONALDVS et ALEXANDER, patrem imitati, variis etiam operibus anatomen illustrarunt. Et DONALDVS quidem coram Edinburgensi societate *de vtero grauido*, ad tria muliebria funera, disputauit, ALEXANDER vero *de testibus*

*) vid. comm. nostr. Vol. XI. P. II. p. 361.

teſtibus et ſemine in variis animalibus, (Edinburg. MDCCLV)*), *de venis lymphaticis valuuloſis, earumque potiſſimum origine* (Berolin. MDCCLVII)**), cet. libellos lectu digniſſimos reliquit.

STEPHANVS HALES, Rector pagi Haddington, p. 188.
qui experimentis naturam detegere conatus eſt, et ſaepiſſime felix fuit, obſeruata ſua de ſanguinis ſaltu, eiusque celeritate et pondere, quod cor ſuſtinet, porro de retardatione huius humoris in vaſis capillaribus, cet. de reſpiratione, de reſorptione venarum meſentericarum, de arteriarum et venarum robore, cet. in *Haemaſtatica* (London. MDCCXXXIII) cognita reddidit, in aliis operibus alias phyſices partes ingenioſis et difficilibus experimentis illuſtrauit***).

Accedimus ad ipſum bibliothecae huius Auctorem, qui eam vitae ſuae partem, quae ad anatomen pertinet, in hoc opere recenſuit. Et Tubingae quidem pene puer in brutorum animantium diſſectionibus, DVVERNOI duce, ſe exercuit, viſcerumque et muſculorum aliquam ſibi parauit cognitionem; etenim cum humanis corporibus Tubingenſe theatrum deſtitueretur, in canibus omnem anatomen DVVERNOI demonſtrare fuit coactus. Quum autem, praeter Carteſianos quosdam doctores, eundem praeceptorem ſuper BOERHAAVII inſtitutionibus praelegentem fuiſſet ſecutus, vi veri perculſus Leidam ſe contulit, vt ex ipſo limpidiſſimo fonte poſſet haurire. Neque tamen ſolius BOERHAAVII praelectionibus vſus eſt, verum etiam B. S. ALBINO ſe non exiguo pretio comitem dedit laborum, vt nimirum in altero funeris latere ea imitaretur, quae ALBINVS in altero ſtudioſis demonſtraſſet, p. 195.

Non

*) ibid. Prim. Decad. Supplem. II. p. 231.
**) ibid. Vol. VII. P. II. p. 339.
***) ibid. Vol. XV. P. III. p. 453.

Non diffitetur tamen HALLERVS, muſculos ſolos et oſſa, maioraque viſcerum et neruorum momenta ab ALBINO in praelectionibus oſtenſa, aut, quod aiunt, praeparata fuiſſe, iniectiones vero et omnia ſubtiliora eum ſibi ſoli ſeruaſſe. Hactenus tamen Noſter Leidae profecit, vt, ſuis inciſionibus niſus, de Coſchwiziano ductu, veris nempe venis, anno huius ſeculi viceſimo ſeptimo diſputare poſſet. RVYSCHIVM, ſenectute tum fere confectum, hoc ipſo tempore HALLERVS frequenter adiit, quem ſummo ardore, laboris in replendis vaſis patientia, et in conſeruandis corporibus nitore vſum fuiſſe refert. Angliam paulo poſt profectus IACOBVM DOVGLASIVM conuenit, apud quem immenſam ſceletorum, oſſiumque vim, et partim integras compagines ſuis cum ligamentis in aqua ſalſa aſſeruatas, partim ſerra omni fere ductu diuiſas oſſium partes vidit. Lutetiae Pariſiorum LEDRANIVM et WINSLOWVM duces in anatome habuit, et in funeribus, quae furtiue effodienda curauerat, neruos, cordis vaſa, manus muſculos et alia minutius et cum quadam ſubtilitatis Winslowianae imitatione perſcrutatus eſt. At vero hanc diſcendi opportunitatem operarius turbauit, qui, effoſſo pariete, quid HALLERVS faceret ſpeculatus, nomen eius ad viros publicae ſecuritati praefectos detulerat; qua de re, vt graues poenas, ipſasque forte triremes effugeret, latendum ipſi fuit, et a funerum conſortio abſtinendum. Relictis deinde Pariſiis ad Mathemata addiſcenda Baſileam profectus eſt, eoque tempore huc venit, quo IOH. RVDOLPH. MIEGIVS, Anatomes Profeſſor, ob infirmam veletudinem officio ſuo ſatisfacere haud poterat. Committebat ergo MIEGIVS HALLERO cadauerum inciſiones, et paulo poſt etiam demonſtrationes, quibus muneribus Noſter ita fungebatur, vt funera, quae ipſi offere-

offerebantur, accurate incideret, in iisque cum describendis, tum delineandis versaretur. In patria vrbe, quam paulo post cum Basilea commutauerat, quum singulari magistratus beneuolentia publice incidendorum, demonstrandorumque corporum copia ipsi fuisset facta, in bicipiti fetu laborauit, aliaque cadauera dissecuit. Quanquam autem Bernae pedem figere animo sibi proposuerat, hanc tamen vrbem mox derelinquere et Gottingam adire fuit iussus, vt ex cathedra auditoribus medicinae dogmata explicaret. Quum itaque anatomicum theatrum in hac vrbe exstruendum curasset, obtinuit a senatu, vt sceleratorum hominum corpora, infantesque ex furtiuo concubitu nati ipsi incidendi traderentur, qua opportunitate eo vsus est, vt arterias, quae in puerili aetate melius, quam musculi, ostendi possent, et quas passim parum plene, quin vitiose describi vidisset, aliasque humani corporis partes maiori studio persequeretur. Inierat etiam ad amplificandam anatomen consilium hoc, vt iis, qui ad Georgiam Augustam accesserant, in eaque summos in medicina honores ambire sibi proposuerant, quo erant elatiori ingenio, hoc difficiliorem anatomes partem illustrandam, aut physiologicam quandam quaestionem discutiendam daret, in quo negotio quiuis per duas hiemes occuparetur. Adiuuabat, vt poterat, auditorum studia, et pleraque in variis animalibus instituebat experimenta. Ita factum est, vt, cum plures eodem tempore maius otium vni artis parti impenderent, longe plus proficeretur, quam solius HALLERI studio peragi potuisset, multumque in physiologiam vtilitatis redundaret. Iam autem, cum per octodecim fere annos suo muneri summa cum laude praefuisset HALLERVS, ab infirma valetudine, somni defectu, et dextrae manus

nus debilitate paralyſin minitante theatro et cathedra fuit depulſus, et Bernam redire, honoresque, reditus et cariorem his omnibus diſcendi ſpem vitae et valetudini conſeruandae immolare coge-batur. Etſi autem in patria alieniſſimi ab anatome eum expectabant labores, ſubſeciuis tamen horis rei publicae gerendae ſubtractis in ſanguinis motu ſubtiliter rimando, in oſſium et vniuerſi fetus formatione ſpeculanda, in praegnantibus animalibus incidendis, in cerebri et oculorum ſtructura indaganda, in morboſis funeribus inſpiciendis, cet. quantum potuit, fuit occupatus, et ad mortem vſque, quae nuper euenit *), anatomicam artem exercuit. Ceterum de his ipſis laboribus, in quibus libris rationem reddiderit Auctor, non opus eſt, vt prolixe referamus, qui olim Lectoribus noſtris eos cognitos reddiderimus **).

p. 223. FRANCISC. NICHOLLS, Oxonienſis anatomes Praelector, nitidis potiſſimum iniectionibus celebris, Londini, CIↃIↃCCXXXVI *Compendium anatomico-oeconomicum ea omnia comprehendens, quae ad corporis humani oeconomiam pertinent*, edidit, in cuius phyſiologica parte peculiares paſſim hypotheſes intercedunt. Sic veſicam vrinariam a pyramidali muſculo detrahi putat, vt, laxatis ligamentis rotundis (vmbilicalibus arteriis), fibrae longitudinem veſicae ſequentes ſe contrahere et veſicam inanire poſſint. Cordis motum ita diuidit, vt auricula dextra cum ſiniſtro ventriculo contrahatur et viciſſim. Chordam tympani muſculoſam naturam habere; aortam deſcendentem in fetu conſtringi, quo aſcendens dilatetur, cet. perhibuit. Suas de cordis motu, de medica anima cet. opiniones in alia

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. P. III. p. 562.
**) vid. comm. noſtr. I. et II. Decad. Indices librorum et obſeruationum.

aliis libellis cognitas reddidit.

IOSIAS WEITBRECHT, Petropolitanus Profeſ- p. 224.
ſor, varias diatribes de interoſſeis digitorum muſculis, de ligamento clauiculas coniungente, de vero veſicae ſitu atque figura, de muſculis faciei, pharyngis et vuulae, cet. *Commentariis Academ. Petropol.* et *Commercio litterario Norico* inſerendas curavit, in principe autem ſuo opere *Syndesmologia* (Petropol. CIↃIↃCCXLII) inſcripto omnia humani corporis ligamenta cum ſermone, tum iconibus illuſtravit, ita vt etiam viſcerum, pharyngis, inteſtinorum, partiumque genitalium ligamenta et vmbilicales arteriae, quae eorundem ſpeciem induerunt, deſcriptae habeantur. Phyſiologiae quaedam capita ſibi pariter in *Acad. Petrop. Commentariis* explicanda ſumſit.

Praecipuis huius ſeculi anatomicis IOH. FRID. p. 233.
CASSEBOHM, WINSLOWI diſcipulus et Halenſis Profeſſor, annumerandus eſt, qui *de aure interna* primum Francof. ad Viadr. diſſertationem tuitus eſt, hoc ipſum autem argumentum deinde ornatius pertractauit, librumque Halae CIↃIↃCCXXXIV edidit, in quo integra auris cum vaſis et neruis ex fetu a tertio menſe ad maturitatem vſque, et ex adulto homine breuiter, ſatis tamen accurate deſcripta eſt. Praeterea *de anatomica fetus et adulti differentia*, (Hal. CIↃIↃCCXXX) et *de ſecandorum muſculorum, viſcerumque methodo* (ib. CIↃIↃCCXL) vtiles reliquit libellos.

Inter HALLERI diſcipulos IOH. IAC. HVBER p. 262.
eminuit, qui apud Gottingenſes primum, deinde apud Caſſelanos anatomen profeſſus eſt, et bona quaedam opuſcula ſcripſit. Rimatus potiſſimum ſubtiliter eſt ſpinalis medullae, neruorumque ex ea egredientium ſtructuram, ſuaque ſuper hac re obſeruata in duobus libellis Gottingae CIↃIↃCCXXXIX et XLI editis cognita reddidit. De hymene, de

ouali foramine, de monſtris, de intercoſtali nerue, prout etiam de octauo, nonoque neruorum pare, et de acceſſorio, cet. bene diſputauit, et in opuſculo *de aëre atque electro oeconomiae animali famulantibus et imperantibus* (Caſſell. CIↃIↃCCXLVIII) elaſticum aërem, eumque per pulmones aduenientem, in noſtris ſuccis eſſe perhibuit.

p. 268. IOH. ERNEST. HEBENSTREIT, medicae facultatis apud nos nuper Decanus, cum hominis, tum variorum animantium anatomen atque phyſiologiam variis, iisque partim ligato ſermone, partim in proſa ſcriptis opuſculis illuſtrauit. Edidit enim, praeter *phyſiologiam et pathologiam metricam, de auditus organi fabrica, de vaſorum vaginis, de arteriarum ſecundariarum earumque confiniis, de vmbilicali funiculo, de ſanguinis oculi vaſis, de mediaſtino poſtico*, cet. libellos, eosque lectu digniſſimos, quorum nonnullos HALLERVS cudendos curauit *).

p. 270. IVSTVS GOTFRIED GÜNZ, Anatomiae et Chirurgiae in noſtra Vniuerſitate primum Profeſſor, poſtmodum Aulae Conſiliarius, atque AVGVSTI III, Polon. Regis et Saxon. Electoris medicus, varia ad anatomen pertinentia opuſcula, velut *de mammarum fabrica et lactis ſecretione, de cerebro, de vtero et naturalibus feminarum partibus, de hepate, de reſpiratione*, cet. ſcripſit, quibus ſibi eruditi atque accurati diſſectoris parauit nomen. Ceterum *Commentario in* HIPPOCRATIS *de humoribus librum* (Lipſ. CIↃIↃCCXXXVI) et libellis *de ſecundis calculoſis* (ibid. CIↃIↃCCXL) et *de herniis* (ibid. CIↃIↃCCXLIV) multa etiam anatomica obſeruata inſeruit **).

p. 277. IOSEPHI LIEVTAVDII, Aquenſis Profeſſoris, deinde Archiatrorum comitis, *exacta omnium humani corporis*

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. IV. p. 721.
**) ibid. Vol. III. P. IV. p. 736.

corporis partium hiſtoria *), Gallico ſermone conſcripta, bonus liber eſt, et per propria experimenta natus. Neque enim LIEVTAVDIVS, vt nuperorum Francogallicorum de anatomia Auctorum mos fuit, WINSLOWI librum exſcripſit, a cuius potius placitis ſaepe diſſentiat. Quemadmodum autem in hoc libro, variisque *Commentariis Acad. Scient.* inſertis diſputationibus de ſtructura partium egit, ita in *phyſiologiae elementis*, Latino ſermone Amſtelodami CIↃIↃCCXLIX editis, de vſu earundem erudite expoſuit, laborumque ſuorum egregia exhibuit ſpecimina.

PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER, Medicinae apud Halenſes etiamnunc Profeſſor, praeter diatribes *de vteri grauidi ſitu* (Hal. CIↃIↃCCXLI) *de quatuor et quinque aortae ramis* (ibid. eod.), *de mammarum ductibus* (ib. CIↃIↃCCXLII), *de trium cauorum in dextro cordis alueo confluxu* (ib. CIↃIↃCCLXIII), cet. duos *obſeruationum anatomicarum* faſciculos (ibid. CIↃIↃCCLII et LVI.) edidit, in quibus rariora, quae annotauit, obſeruata deſcripta ſunt. In *oſteologicis inſtitutionibus* (ibid. CIↃIↃCCXLIX) pulchras dedit embryonum, ſceletorum fetuum tenuiorum, oſſium difficiliorum, vt ethmoidei, cet. icones, ſimulque inſertionum et varietatum muſculorum, vt duorum et trium muſculi interni mallei tendinum, cet. meminit. p. 284.

CHRIST. GOTL. LVDWIG, in noſtra Vniuerſitate nuper medici ordinis Decanus et Profeſſor, ſummo ſtudio medendi artem exercuit, omnesque eius partes variis, iisque egregiis operibus, de quibus olim retulimus **), illuſtrauit. Dedit etiam p. 294.

*) Pariſ. CIↃIↃCCXLII, altera vero, eaque priori auctior editio prodiit ibid. CIↃIↃCCLXVI.

**) vid. Comment. noſtr. I. et II. Decad. Indic. Librorum et obſeruationum.

nonnullas ad HALLERVM epiſtolas, in quibus de quarundam humani corporis partium ſtructura atque vſu diſſeruit. Sic duos fibrarum cordis ductus dari negauit, et reticulare corpus viſci ſimile eſſe, illudque ad pigmenti modum diffluere, ab alcohole tamen firmum reddi perhibuit. Praeterea de epiglottidis muſculo a ſtylopharyngeo nato, aliisque faciei carnibus, de chorii laminis, de poſteriori oculi camera anteriori aequali, de funiculis, (ramo nerui phrenici), quos WINSLOWVS a gula ad diaphragma deſcendere dixit, et quos LVDWIGIVS haud potuit reperire, in his ipſis epiſtolis locutus eſt, teſticulique vnius cum epididymidis alterius veſtigio exemplum annotauit. Ceterum, quae eius in hos ipſos commentarios fuerint merita, cuius cognitum eſſe atque perſpectum arbitramur *).

p. 307. IOH. L'ADMIRAL, pictor, in elegantibus ſuis iconibus durae matris in concaua et conuexa ſuperficie viſae, quas Amſtelod. CIↃIↃCCXXXVIII edidit, naturam imitatus eſt, et tenuiſſimas arterias, quae nudo oculo merae maculae videntur, egregie expreſſit. Iconibus membranae vaſculoſae ad infima acetabuli oſſium innominatorum, (ibid. eod.) et penis humani cera praeparati (ib. CIↃIↃCCXLI), quae Eodem Auctore prodierunt, eaedem debentur laudes.

ABRAHAMVS KAAUW, BOERHAAVII ex ſorore nepos, qui ipſe poſtmodum KAAUW BOERHAAVE dictus eſt, apud Petropolitanos fuit Profeſſor, variisque ſibi operibus diligentis inciſoris et aſſidui veterum lectoris nomen vindicauit. Edidit Leidae CIↃIↃCCXXXVIII et XLV *perſpirationem dictam* HIPPOCRATI *per vniuerſum corpus anatomice illuſtratam*, et *impetum faciens dictum* HIPPOCRATI *per corpus conſentiens, obſeruationibus et experimentis paſſim*

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XX. P. I. p. 153.

passim confirmatum, in quibus libellis varia physiologiae capita illustrauit. Ceterum *anatomicas duorum monstrosorum infantum historias*, (Petropol. CIↃIↃCCLIV et LVII), easque minute et accurate conscriptas, et *anatomicarum annotationum* quosdam libros reliquit, quibus de elephanti pericardio, de vitiosae cellulosae telae ex spissato glutine generatione, de insolitis quibusdam pectoris musculis, de partium corporis humani cohaesione, cet. obseruata insunt.

Partes sensuum organa constituentes sibi CLAV- p. 308.
DIVS NICOLAVS LE CAT, Chirurgus Rothomagensis, considerandas sumsit, easque cum sermone, tum figuris in suo *de sensibus tractatu* (Rothomag. CIↃIↃCCXL) Gallice conscripto illustrare allaborauit. Haud tamen omnia in hoc libro pari studio pertractata sunt; etenim, quanquam iis, quae ad oculum spectant, laudes Auctor promeruit, in reliquis tamen sensuum instrumentis describendis fuit nimis breuis, et in delineandis naribus, auribus et cerebri basi a natura omnino recessit. Ceterum fuscam membranam sclcroticae tunicae intus applicatam primus descripsit, et ciliarem coronam nervosis papillis fieri perhibuit. In aliis operibus de musculorum actione *), de durae et piae meningis sensibilitate **), de sensationibus et passionibus ***), cet. disputauit, suique aduersus hypotheses amoris plura exhibuit testimonia.

CORNEL. DAVID. DE COURCELLES *plantae pe-* p. 316.
dis et capitis musculorum icones, easque pulchras, cum descriptionibus Leidae CIↃIↃCCXXXIX et XLIII edidit, et IOH. NATHAN. LIEBERKÜHN, qui cum in microscopiis fabricandis, tum in funeribus iniiciendis

*) vid. Comment. nostr. Vol. III. P. III. p. 403.
**) ibid. p. 426. Decad. I. Suppl. III. p. 420.
***) ibid. Vol. XVII. P. II. p. 329.

ciendis artificiosa manu excelluit, earumque inie-
ctionum, quae vasis metallo repletis, et a paren-
chymate acri aliquo liquore nudatis, fiunt, inuen-
tor fuit, *de valuula coli et vermicularis proceſſus eius* (ibid. CIↃIↃCCXXXIX) et *de fabrica et actione villo-
rum inteſtinorum tenuium* (ibid. CIↃIↃCCXLV) libel-
los conscripsit, qui summo plausu a dissectoribus
excepti fuerunt. Ceterum quod spectat ad LIEBER-
KÜHNII iniiciendi rationem, eam ipse in *Berolinen-
sis Acad. Commentariis* descripsit, et de mensura
sanguinis circuitui in viuis animalibus contemplan-
do idonea in *scriptis Acad. Scientiarum* egit.

p. 330. IOSEPHI EXUPERII BERTINI *Tractatus de oste-
logia* *), qui Parisiis CIↃIↃCCLIV Gallice prodit,
et quatuor tomis constat, egregius profecto liber
est, et repetita lectione dignus; sollicite enim, et
multo, quam ab alio quocunque Auctore, minutius
omnes osseas humani corporis partes, nec non inter-
articulares cartilagines, mucilaginosas glandulas, et
BERTINVS descripsit, simulque neruorum et arte-
riarum, quae ad ossa proficiscuntur, meminit. Alias
humani corporis partes cum in peculiaribus libellis,
tum in *Acad. Reg. Scient. Commentariis* a BERTINO
accurate propositae sunt.

p. 12. IOHANNIS PALFYNI, Chirurgi Gandauensis,
anatomiam chirurgicam, cuius prima editio Lugd.
p. 336. Batau. CIↃIↃCCXVIII Belgice prodierat, ANTONIVS
PETIT, Parisiis CIↃIↃCCLIII Gallice recudendam
curauit, eamque notis variis et emendationibus au-
xit, ita vt magna operis huius pars, omnesque fere
bonae et nitidae ossium icones ad PETITVM per-
tineant. De serotinis partubus, de nuperi par-
perii signis, de corde systoles tempore breuiori, et
singulares libellos PETITVS edidit, et sua cum sub-
mersis facta experimenta in *Historia Acad. Scient.* re-
censuit.

THEO-

*) vid. Comm. nostr. Vol. V. P. I. p. 38.

THEOPHIL. DE BORDEV, medicus Pariſienſis, p. 346.
praeter alia opera, *ſuper ſitu glandularum, earumque actione diſquiſitiones anatomicas*, Pariſ. CIↃIↃCCLI Gallice edidit, in quibus glandulas a ſtimulatione neruorum, quibus eas abundare opinatus eſt, neque a preſſione aliqua exinaniri, neruumque contractionem arteriae atque ſecretionem augere, cuiuis glandulae ſuam eſſe vitam, cet. docuit. Praeterea ductus ex thyreoidea glandula in aſperam arteriam euntes ſe vidiſſe putauit, et ex PRESTRII teſtimonio ductum ex thymo verſus eundem canalem ducentem adeſſe coniecit. De BORDEVII *ſuper textu mucoſo et organo cellulari* libro olim retulimus *).

WILHELMVS HVNTER, chirurgus et anato- p. 363.
micus inſignis, in Philoſophicis Tranſactionibus de cartilaginum articularium fabrica egit, quam, remoto epichondrio, villoſam quaſi reddi, et ipſas cartilagines fibris, quae ad perpendiculum oſſi inſiſtant, fieri perhibuit. De teſte, eiusque vaſculoſa fabrica, de lymphaticorum vaſorum reſorbente natura, de lacrymarum ductibus, cet. in prima medicorum commentariorum Anglice conſcriptorum (Londin. CIↃIↃCCXL) parte expoſuit, in ſecundo autem tomo obſeruationum medicarum, a Londinenſi Societate editarum, de celluloſa tela, quam vaſculis fieri putauit, de adipis cellulis, eiusque ex glandulis ſecretione, cet. diſputauit. Anatomiae vteri humani grauidi tabulis illuſtratae, quae HVNTERO Auctore nuper prodiit, haud ita pridem meminimus **). IOHANNES HVNTER, prioris frater, vtiliſſimum de humanis dentibus, eorumque ſtructura, vſu, formatione, incremento et morbis tractatum ***) Anglice Londini CIↃIↃCCLXXI edidit, et in Tranſactio-

 nibus

*) vid. Comm. noſtr. Vol. XVI. P. IV. p. 607.
**) ibid. Vol. XXIII. P. II. p. 329.
***) ibid. Vol. XIX. P. II. p. 325.

nibus Philoſophicis de pellucidis vaſis, quae lacteorum locum in auibus tenent, de torpedinis muſculis, de ſalmonum ventriculo, de aëre ex pectoralibus et abdominalibus cellulis in caua animalium volantium oſſa progrediente, cet. accurate expoſuit.

p. 395. PETRVS CAMPER, chirurgiae et anatomes peritia clarus, multis, iisque egregiis operibus, velut *demonſtrationum anatomico-pathologicarum libris, commentationibus de nonnullis oculi partibus, de organis auditus piſcium, de elephanti anatome, de lacte et educatione puerorum*, cet. nomen ſuum celebre reddidit. Aëris ex pectore et abdomine in auium alius volantium oſſa commeatum CAMPERVS etiam experimentis quibusdam demonſtrauit.

p. 398. *Anatomica humani corporis deſcriptio*, quam CHRIST. EHRENFR. ESCHENBACH, Roſtochienſis Profeſſor et Medicus, anno CIↃIↃCCL Roſtochii Germanice edidit, ad WINSLOWI expoſitionem concinnata eſt, quaedam tamen propria obſeruata ipſi ſimul inſunt. Sic valuulam in lacrymali ſacco eſſe, nullam in ſuccenturiato rene deprehendi caueam, veſicae ſphincterem dari, neruos opticos nonnunquam prorſus ſeparatos animaduerti, cet. Auctor contendit, et peculiares quosdam muſculos, prout carnem ex atlantis tranſuerſo proceſſu ortam, et in partem proceſſui maſtoideo proxime poſteriorem inſertam, muſculum quadratum alterum lumborum, cet. recenſuit. Ceterum collegit etiam ESCHENBACHIVS raras quasdam, quas facere ipſi contigit, obſeruationes, easque primum CIↃIↃCCLIII, deinde vero nouis auctas CIↃIↃCCLXIX Roſtochii publicae luci tradidit.

p. 422. IOH. FRID. MECKEL, HALLERI diſcipulus, et apud Berolinenſes poſtmodum Profeſſor, ex primis huius ſeculi inciſoribus difficillimas humani corporis partes, neruos ſcilicet, nitidiſſime extricauit; etenim

enim quae in ſua *de quinto neruorum pari* diſputatione (Gotting. CIↃIↃCCXLVIII) protulit, quippe in qua difficillimum et per reconditos oſſeos canales tendens neruorum par accuratiſſime perſecutus eſt, plurimaque partim noua deſcripſit, partim in controverſia poſita in plenam lucem conſtituit, longe ſuperant illa, quae VIEVSSENII et aliorum induſtria in capitis neruis detexerat, ſuntque proinde ſummis laudibus digna. Alia ad neruorum, cerebri, cet. anatomen ſpectantia obſeruata in *Commentariis Berol. Academ.* recenſuit, et in quibusdam ad HALLERVM datis epiſtolis de lymphaticis vaſis, glandulisque conglobatis, de plexu proſtatico venoſo ex vena per ligamentum iſchiadico-ſacrum cum arteria pudenda exeunte nato, de quatuor ſpermaticis arteriis, aliisque cum horum, tum renalium, vertebralium, cet. vaſorum varietatibus retulit*). IOH. GOTFR. p. 438.
ZINNIVS, qui pariter HALLERO praeceptore vſus eſt, *anatomica humani oculi deſcriptione iconibus illuſtrata* **), ceterisque operibus, quae vel ſeorſim edidit, vel monumentis *Societ. Reg. Scient. Gotting.* inſerenda curauit, praeclari diſſectoris nomen promeruit. Ceterum praematura morte fuit prohibitus, quo minus induſtriae ſuae plura ſpecimina, quae ſperari ab eo poterant, cognita redderet ***).

IOH. GEORG. ROEDERER, HALLERI in Got- p. 450.
tingenſi theatro ſucceſſor, ad anatomiam, phyſiologiam, obſtetriciam artem, cet. amplificandam multum contulit, ediditque de perfecto fetu, de fetus pondere, de monſtroſo quodam partu, de ſuffocatis, de cerebro, cet. commentationes, quae partim ſeorſim impreſſae, partim Gottingenſis Societatis Commentariis inſertae ſunt. Ad illuſtrandam humani vteri ſtructuram icones atque obſeruationes Gottin-

*) vid. Comment. noſtr. III. Decad. Suppl. II. p. 216.
**) ibid. Vol. V. P. II. p. 342.
***) ibid. Vol. XII. P. I. p. 176.

Gottingae CIↃIↃCCLIX euulgauit *), et obſtetriciae artis bonum compendium reliquit, quod WALTERGIVS nuper recudendum curauit, notisque nonnullis auxit.

p. 468. Inter GÜNZII diſcipulos IOH. GOTFR. IANKIVS, Anatomes et Chirurgiae apud nos Profeſſor, eminuit, qui ſolertia inſigni et indefeſſo labore humanum exta rimatus eſt, libellosque vtiliſſimos *de oſſibus mandibularum puerorum ſeptennium, de foraminibus caluariae, eorumque vſu, de ratione earum anguſtiores inprimis cutaneas oſtendendi*, cet. veluti teſtes induſtriae ſuae reliquit. Ceterum dolendum eſt, praematura morte IANKIVM e viuis ereptum, impeditumque fuiſſe, quo minus multa vtilia, quae ex ſolertia eius ſperari poterant, detegeret, atque publici iuris faceret **).

p. 526. MARC. ANTON. LEOPOLD. CALDANVS, Theſeae apud Patauinos Profeſſor et ſucceſſor MORGAGNI, quasdam epiſtolas ſuper inſenſibilitate et irritabilitate quarundam partium animalium edidit, in quibus nouis experimentis HALLERI placita ſtabiliuit, obiectaque oppoſita dubia diluit. In ſolis tendinibus LEXARI tentamina fecit, inter quae quatuor cum aliquibus ſenſus ſignis coniuncta fuerunt, quod haud ſatis nudati tendines fuiſſent. Pericranium, duram matrem, peritonaeum, aponeuroſes muſculorum abdominalium, pleuram, cet. ſenſu deſtitui reperit, et in tendinibus neruos deprehendit omnino nullos. Irritabilem virtutem peculiare eſſe muſculoſae fibrae donum, eoque iridem prorſus carere faſſus eſt, cet. De ſanguinis motus cauſa, de humani corporis elementis, cet. in aliis operibus expoſuit.

p. 536. IOH. THEOPH. WALTER, Berolinenſis Proſector, praeter diſputationem *de emiſſariis* SANTORINI (Fran-

*) vid. Comm. noſtr. Vol. VIII. P. III. p. 495. De vita ROEDERERI retulimus ibid. Vol. XII. P. II. p. 369.

**) ibid. Vol. XI. P. I. p. 176.

Francofurt. ad Viadr. CIↃIↃCCLVII), et librum *de fabrica humani corporis ossibus*, (Berolin. CIↃIↃCCLXIII), *anatomicas obseruationes* (ibid. CIↃIↃCCLXXV) edidit, quibus monstri bicorporei, duobus capitibus, et totidem pedibus, pectoreque et pelui connatis, anatomica descriptio, et accuratae venarum faciei, cauitis et colli tabulae insunt. Nuperrime Eodem auctore *de muliebribus partibus generationi inseruientibus* *), et *de venis oculi tractatus* prodierunt, quibus rarae quaedam obseruationes complectuntur.

CAROL. FRID. WOLFII, in Russia nunc Professoris, libellum *de generationis theoria* (Hal. CIↃIↃCCLIX) **), et relationes *de leonis corde* ***), *de ouo simplici gemelisero* ****), cet. olim laudauimus. p. 558.

GEORG. CHRIST. REICHEL, Medicinae apud nos nuper Professor, *de ortu atque structura ossium* (Lipsiae CIↃIↃCCLX) libellum conscripsit, in quo succum osseum, arteriarum in formandis ossibus potentiam, cet. defendit. Ossium ipsorum fabricam cum serra, tum acidis liquoribus indagauit, canalesque nutritio succo vehendo accommodatos inter laminas eorum reperit. Ceterum ad sanguinis motum in animalibus minoribus speculandum microscopia adhibuit, suisque tentaminibus, quorum quantum in libello *de sanguine, eiusque motu* (ibid. CIↃIↃCCLXVII) descripsit, et elegantibus figuris illustrauit, fuit edoctus, globulos in minimis vasis omnino oblongos reddi, solitarios flauos esse, cet. Plura physiologiam et anatomen illustrantia scripta quo minus ederet, praematura morte fuit prohibitus †). p. 560.

Prae-

*) vid. Comment. nostr. Decad. III. Suppl. II. p. 209. 224.
**) ibid. Vol. X. P. II. p. 217. Vol. XXIII. p. 483.
***) ibid. Vol. XX. P. I. p. 12. 13.
****) l. l. p. 6.
†) ibid. Vol. XVI. P. IV. p. 711.

p. 564. Praecipuis comparatae anatomes ſtatoribus [illegible] MON PETR. PALLAS annumerandus eſt, qui [illegible] ad eam ſpectantia obſeruata inſtituerit, cognitionem variis in ſcriptis reddiderit. Sic in *Zoologiae ruſſo-aſiaticae* [illegible] *laneis* (Haag. CIↃIↃCCLXVI) rariorum animalium deſcriptiones, ſubinde etiam inciſiones, velut [illegible] preoli, Sauiae Aethiopicae, cet. tradidit, et de [illegible] libus marinis animalibus monuit, communem [illegible] ipſis eſſe fabricam, venamque ex inteſtino [illegible] re, quae in arteriam, muſculis deinde ramos [illegible] ram, continuetur. Spinalis medulla denegata [illegible] animalibus non eſt, capite vero atque oculis [illegible] tuta ſunt, cet. *Elenchus Zoophytorum* et *Zoologiae ſpicilegia*, quae PALLASIVS edidit, pariter nouis, ita que accuratiſſimis ſuper variorum animantium fructura obſeruationibus abundant.

p. 565. FELIX FONTANA, Piſanus Profeſſor et inci ſor egregius, in quadam ad VRBANVM TOSETTI data epiſtola de irritabili muſculorum virtute, et de inſenſibilitate tendinum diſputauit, optimisque rationibus vtrumque argumentum tuitus eſt. Etenim tendines perpetuo et in omnibus periculis inſenſibles fuiſſe reperit, et duram matrem repetitis vulnibus non in animalibus ſolum, verum etiam in homine abſque ſenſu vſſit atque lacerauit. Praeterea nullam neruorum irritationem cordis motum augere aut mutare, in actione autem conſtitutum hoc viſcus vtique, etiam in anguillis, breuius reddi, cet. expertus eſt, atque his, aliisque tentaminibus inniſus, LAGHII, aliorumque obiectiones refutauit. Ceterum de iridis motibus, de rubris ſanguinis globulis, de irritabilitatis legibus, de epididymide *), cet. in aliis operibus ita diſputauit, vt diligentiſſimi ſibi naturae ſcrutatoris nomen vindicaret. Icones etiam anatomicas perpulchras FONTANA parat,

*) vid. Comment. noſtr. II. Decad. Indic. libros, et obſeruat.

parat, oculique muſculos et neruos, pharyngem, cet. iam curauit depingi.

IOH. FRID. LOBSTEIN, Argentinenſis Profeſſor, Academicos libellos *de neruo ſpinali ad par vagum acceſſorio* *), *de valuula* EVSTACHII **), *de neruis durae matris* ***), et *de liene* ****) ſcripſit, qui nouis obſeruationibus admodum ſunt referti, et DOMINICVS COTVNNVS, Profeſſor Neapolitanus, *de aquae ductibus auris humanae internae* †) ſpecimen lectu digniſſimum edidit. Ceterum ab his duumuiris, qui in minutiſſimis rebus perſcrutandis verſatiſſimi ſint, plura anatomen atque phyſiologiam illuſtrantia ſpecimina expectari poſſunt. p. 571. p. 575.

IOSEPHI THADDAEI KLINKOSCHII, apud Pragenſes nuper Profeſſoris, ſententiam de vera natura cuticulae, eiusque regeneratione FRID. HERMANNVS expoſuit, eamque curauit Pragae CIↃIↃCCLXXI imprimendam. Cenſet autem KLINKOSCHIVS, cuticulam ad celluloſam telam pertinere, eamque proinde, vt aliarum celluloſarum telarum mos eſt, euolui atque compleri. Fila celluloſa ipſa caua eſſe, in iisque nutritionem locum habere iudicat. Huius telae initia Auctore ſemifluida ſunt et gelatinae ſimilia, quippe a cute celluloſa fila epidermidis germinant, quae reticulum, (quod macerando in mucum contabeſcit), atque cuticulam exteriorem et duriorem faciunt. Conſpicuis vaſis ea deſtituitur. Si macerata fuerit, in laminulas primum, tum in pultem abit, cet. In mammae areola nigerrimam cuticulam KLINKOSCHIVS ſe vidiſſe refert, et aethiopibus ſubnigram cutem eſſe perhi- p. 581.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. IX. P. IV. p. 634.
**) ibid. Vol. XVIII. P. IV. p. 616.
***) ibid. Vol. XIX. P. IV. p. 624.
****) ibid. Vol. XXII. P. I. p. 36.
†) ibid. Vol. XX. P. III. p. 538.

perhibet. Ceterum nihil in corpore regenerari praeter celluloſam telam per veram epigeneſin atque euolutionem, nec ex concreto ſucco, conſtare et fetum cordis vi euolui, eamque a maſculo ſemine excitari, cet.

p. 590. HENRICVS AVGVSTVS WRISBERG, Anatomes apud Gottingenſes Profeſſor, *de infuſoriis animalculis* *), *de embryonis fabrica* **), *de reſpirationis prima, neruo phrenico et animali calore* ***), *de papillari membrana* ****), *de ſecundinarum humanarum varietate* †), cet. diatribes conſcripſit, quas olim recenſuimus, noſtrisque Lectoribus commendauimus. Nuper in Gottingenſis Societatis conſeſſu *de quinque pare neruorum cerebri, et de neruis, qui ex eodem oriuntur matrem ingredi falſo dicuntur*, diſputauit, nouisque que argumentis HALLERI, MECKELII, NEVBAVERI, LOBSTEINII, cet. de hac re placita ſtabiliuit.

p. 607. LAZARVS SPALLANZANVS, Ticinenſis Profeſſor, in minutis animalibus contemplandis potiſſimum verſatus eſt, variosque nouarum obſeruationum diuites libros edidit, quorum aliquos nouiſſe olim recenſuimus ††). In nouiſſimo opere, quod nuper prodiit †††), de infuſoriis animalculis, frigorisque, caloris, variarum exhalationum, electricae ſcintillae, cet. in ea viribus, de animalibus in hominis et quadrupedum ſemine conſpicuis, de animantium in clauſo, nec renouato aëre vita, et de reuiuiſcentibus animalibus expoſuit, ſuumque ſermonem accuratiſſimis tentaminibus illuſtrauit.

I. B.

*) v. Comment. noſtr. Secund. Dec. Suppl. I. p. 167.
**) ibid. Vol. XIII. P. III. p. 420.
***) ibid. Secund. Decad. Suppl. IV. p. 735.
****) ibid. Vol. XIX. P. II. p. 266.
†) ibid. Vol. XX. P. IV. p. 611.
††) ibid. II. Decad. Indic. libror. et obſeruat.
†††) *Opuſcoli di fiſica animale e vegetabile*, Tom. I. II. In Modena CIↃIↃCCLXXVI. 8.

I. B. CVBOLVS *de metamorphoſi duorum oſſium pedis in quadrupedibus aliquot* diatriben *), et *de mammis anatomicas obſeruationes* conſcripſit, quarum haud ita pridem meminimus **). p. 612.

Lymphaticorum vaſorum in auibus, piſcibus et frigidis quadrupedibus praeſentiam tentaminibus ſuis WILHELMVS HEWSON euicit, ſuaque circa hanc rem inſtituta obſeruata cum aliis, eorundem vaſorum in homine ſyſtema illuſtrantibus, tum in Philoſophicis Tranſactionibus ***), tum in peculiari libello ****) deſcripſit. De ſanguinis natura ſingularem fouit ſententiam *****), et lienem ad lymphaticum ſyſtema pertinere, eiusque cellulas generis lymphatici eſſe perhibuit. p. 632.

IOH. ERNEST. NEVBAVER, Ienenſis nuper Profeſſor, egregia quaedam opuſcula reliquit, quibus accuratiſſimae neruorum cardiacorum †), arteriae innominatae et thyreoideae ††), tunicarum vaginalium teſtis, ſpermaticique funiculi †††) cet. deſcriptiones atque icones inſunt, et ADOLPH. MVRRAY, Profeſſor Vpſalienſis, de cerebri infundibulo ††††), de faſcia lata †††††) cet. noua obſervata cognita reddidit. p. 641. p. 643

CAESA-

*) vid. Comm. noſtr. Vol. XVII. P. IV. p. 588.
**) ibid. Vol. XXII. P. IV. p. 656.
***) ibid. Vol. XVII. P. III. p. 396. Vol. XVIII. P. IV. p. 650. 651.
****) *Experimental inquiries on the proportion of the blood, and an appendix relating to the lymphatic ſyſtem in birds*, cet. In ſupplementis tertiae decad. noſtr. comm. huius libri recenſum dabimus.
*****) vid. Comm. noſtr. Vol. XX. P. III. p. 490.
†) ibid. Vol. laud. P. I. p. 37.
††) l. l. p. 42.
†††) ibid. V. XVII. P. III. p. 530.
††††) ibid. Vol. XX. P. III. p. 543.
†††††) ibid. Vol. XXIII. P. I. p. 101. it. ſupra p. 527.

p. 646. CAESARIS VERDIERI, Chirurgi Parisini, anatomicum compendium RAPHAEL BONAVENTVRA SABBATIER Parisiis CIↃIↃCCLXVIII recudendum curauit, illique permultas nouas obseruationes de pubis ossibus in violento partu discedentibus, de cerebri motu a respiratione pendente, de pyramidalibus musculis, de durae cerebri meningis insensili natura, de ductu incisiuo nares cum ore coniungente, de lutei corporis origine, cet. adiunxit. Ipse SABBATIER absolutum de anatomia opus duobus voluminibus (Paris. CIↃIↃCCLXXV) Gallice edidit, quod egregium est, summisque laudibus dignum: nam in describendis humani corporis partibus auctorem naturam esse secutum, eumque nec aliorum errores repetiisse, neque nouos commisisse, HALLERVS ingenue fassus est.

p. 674. IANI MARCI BVSCHII *de mechanismo organi vocis, huiusque functione* dissertatio, (Groning. CIↃIↃCCLXX) potissimum CAMPERI super hac re in variis animantibus instituta obseruata, eaque laryngis muneri illustrando admodum idonea, complectitur, quae cum nondum a nobis laudata fuerint, hac occasione HALLERI verbis commemoranda censemus. Scilicet in cartilagine thyreoidea, ad radicem supremi processus ouatum foramen, per quod neruus aduenial, CAMPERVM vidisse, illudque mox in sinistro latere maius esse, mox in dextro tantum deprehendi, BVSCHIVS refert. Articulatio cricoideae cartilaginis cum thyreoidea plana est, et in senilibus corporibus solida medulla in his cartilaginibus reperitur. SANTORINI appendices, CAMPERO Auctore, solummodo in marino vrso offenduntur, in ea autem membrana, quae ab epiglottide ad arytaenoidearum cartilaginum capitula expanditur, duas cartilagines, easque in animalibus, velut cane, vulpe, talpa, cet. maiores Cl. Auctor vidit.

vidit. In concaua parte ossis hyoidis simiarum marsupium deprehenditur, propter quod haec animalia vocem edere non possunt, (omnibus simiis, HALLERO iudice, illud non datum est). Palatinum velum in Indico cuniculo hyoidis ossis basi affigitur, hinc neque nares, neque larynx, nec pharynx ad os patent; in media autem veli huius parte foramen est, quod in fauces et oesophagum ducit, quam ob rem hoc animal ruminare videtur, quod non nisi perminute contritos cibos deglutire potest. Ossis hyoidis basis thyreoideae cartilagini sponte incumbit, hoc ipsum autem os, quando acuta vox editur, trahitur antrorsum, ita vt tandem basis vltra scutiformem cartilaginem producatur, et simul larynx retro basin hyoidis ossis eleuetur, sicque magis sursum, ipsum vero os antrorsum magis eat. Iam vero, cum thyreoidea cartilago ascendit, tenduntur ligamenta, siquidem thyreoidea eleuatur, arytaenoideae autem immotae resistunt, et aspera arteria forte deorsum it, atque cricoideam secum ducit, vt thyreoidea sola sursum eat. Haec ipsa thyreoidea cartilago deinde in priora trahitur, et cricoidea simul eiusdem musculi cricothyreoidei posterioris actione retrorsum it. Praeterea cricothyreoideus musculus etiam scutiformem cartilaginem deprimit, et annularem eleuat, quae pro immota non debet haberi, neque aliquam firmitatem ab aspera arteria habet. In graui voce edenda cricoidea cartilago antrorsum producitur, atque distantia eam inter et scutiformem fit nulla, in acuta e contrario thyreoidea in priora, cricoidea in posteriora ducitur, et glottidis ligamenta tenduntur. Cricoarytaenoidei postici musculi arytaenoideorum processus anteriores extrorsum ducunt et superiores diducunt, sicque glottis dilatatur; contra musculi laterales cricoarytaenoidei has cartilagines deorsum et ad la-

tera trahunt et anteriores proceſſus ad ſe adducunt, ſic baſes diducuntur, glottis fere clauditur et poſterior rimae pars dilatatur. Thyreoarytaenoidei arytaenoideas cartilagines in priora inclinant, ligamenta relaxant, rimam poſteriorem coarctant, ventriculoſque comprimunt, et in vniuerſum his ipſis arytaenoideis cartilaginibus retrorſum tractis ligamenta tenduntur. Ceterum pro FERRENIO diſputat in ſuo libello BVSCHIVS, pluresque alias easque lectu digniſſimas recenſet annotationes.

p. 681. OTTO FRID. MÜLLER, vir induſtrius et in contemplandis minoribus aquaticis animalibus occupatus, laborum ſuorum varios fructus, velut tractatum *de vermibus dulcium et ſalinarum aquorum* *), *hiſtoriam ſuccinctam terreſtrium et fluuiatilium vermium, ſeu animalium infuſoriorum, helminthicorum, et teſtaceorum non marinorum* **), cet. edidit, qui cum ſummi ſtudii eſſent indices, naturalis hiſtoriae cultoribus gratiſſimi fuerunt. Animalium rariorum Daniae icones atque deſcriptiones, quas MÜLLERVS nuper edere coepit, pariter plauſu ab eruditis excepti ſunt, quippe in quibus naturam Ill. Auctor egregie ſit imitatus.

p. 716. *De nouorum oſſium in integris, aut maximis, ob morbos, deperditionibus, reparatione experimenta* ***), quae MICHELE TROIA, Chirurgo Neapolitano, Auctore Pariſ. CIↃIↃCCLXXV prodierunt, barbaro ſermone conſcripta, accurata tamen, et ad illuſtrandam oſſium regenerationem admodum apta ſunt.

E

*) v. Comm. noſtr. Vol. XX. P. II. p. 223.

**) ibid. Vol. XXI. P. I. p. 18.

***) Germanica huius libri verſio nuper prodiit, eaque inſcripta eſt: *Herrn* MICHAEL TROIA's *Verſuche über den Anwachs neuer, durch Krankheiten entweder ganz, oder doch gröſtentheils zerſtöhrter Knochen*, cet. *Aus dem Lateiniſchen überſezt von* C. G. KÜHN, *nebſt einem Vorbericht von* C. C. KRAVSE. *Strasburg*, 1780. 8.

Et primum quidem recenſuit Auctor capta ſuper nouo oſſe, diſſecti oſſis vulnus in viuo animali reparante, pericula, ex quibus apparuit, duo noui oſſis ſtrata plerumque fuiſſe ſubnata, quorum alterum exterius antiquum os continuerit, alterum, intus in medullari cauea ortum, internam oſſis faciem obduxerit. Lymphae copiam de oſſe ſecedentem in gelatinam, deinde in cartilaginem atque os conſiſtentem, per ſingulorum dierum incrementa ſecutus eſt, eandemque perioſteum immo vicinos tendines atque ligamenta imbuiſſe, et in tendinibus columbi in gelatinam atque os fuiſſe confirmatam annotauit. Noui oſſis incrementum deſtructa medulla iuuabatur. Cohaeſionis vires Cl. Auctor etiam dimenſus eſt, easque quotidie, confirmato nouo oſſe, augeri animaduertit. Exhalationem oſſis intercedente nocturna inhalatione ſubinde turbari, ad dimidias autem os exhalare a TROIA annotatum eſt. Perioſtium vtrum noui oſſis ſit aut materies, aut modulus, pariter definire Auctor ſtuduit, et per ſingulos dies gelatinam in cartilaginem et os conſiſtentem vidit, atque ex fracti oſſis ſuperficie ſudantes lymphae guttas, easque perinde in gelatinoſa fila confirmatas, quae diſſecti oſſis fines colligabant, et denique in nouum os perficiebantur, animaduertit. Hanc lympham ſub perioſteo etiam diuulſo, immo morboſo, de oſſis natura eum firma, tum ſpongioſa ſudaſſe deprehendit. Ipſum oſſeum tubum nouum os replebat, quippe ex interna ſuperficie ſimiles ſcaturiebant guttulae. Internum perioſteum, TROIA Auctore, nullum eſt. De vi, qua natura ad nouum os in longitudinem educendum agit, quaedam Cl. Auctor inſeruit, et vnguis incrementa in tribus menſibus ſex linearum eſſe, experimentis ſuis nixus affirmauit. Vis, quae ad oſſa ab epiphyſi diuellenda requiritur, eſt in STEPHANI HALESII ex-

perimento 450, et vltra, librarum, quo tamen etiam periosteum confert. Hanc vim cohaesionis Noster in dies vt augeatur persecutus est, et in tibia die 21 ad 60091 grana ascendisse vidit. Ceterum ponderibus etiam ossa fregit, atque vlnam a 461 et 485 libris frangi reperit, periostei autem vires, quibus fracturae resistit, vniuersae ossis resistentiae $\frac{1}{22}$ esse cet.

III.

GEORG. GOTTLOB RICHTER praecepta diaetetica. Heidelbergae et Lipsiae, sumtibus fratrum Pfaehler, bibliopol. vniuers. Heidelberg. CIↃIↃCCLXXX. 8. pagg. 384.

Indicamus hic librum b. RICHTERI *), cuius manuscriptum bibliopola acquisiverat et preto submisit. Haec praecepta diaetetica autem Noster in VIII capita descripsit, quorum primum agit de *Aëre;* alterum persequitur *victum humanum*, quod quidem caput II rursus diuisit in membra II, quorum I tradit *Cibum;* Sect. I percurrit *victum vegetabilem;* Sect. II enumerat *victum animalem;* Classis I ostendit *victum quadrupedum;* Classis II explanat *victum volatilium;* Classis III demonstrat *victum piscium;* Membrum II expendit *Potum;* Sect. I enarrat de *Aqua;* Sect. II attingit *Cerevisiam;* Sect. III dat *Vinum;* Sect. IV recenset *Potulenta calida;* tertium caput exponit de *Excretis* et *Retentis;* quartum tractat de *Motu* et *Quiete;* quintum disputat de *Somno* et *Vigiliis;* sextum proponit *Animi Pathemata;* septimum differit de *Venere* et *Exercitio Veneris;* octauum docet *Applicata externa;* appendix denique continet *exempla quaedam dietae specialis*, quorum adiumento vita humana vigere semper et florere potest.

Ac

*) vid. supra p. 533.

Ac primum quidem caput agit de *Aëre*, cuius vis in fluiditate, grauitate, et elaſticitate poſita reperitur, eamque in ſtatu hominis ſano et morboſo hic diligenter perſequitur Noſter. Num vero aër in pleniluniis, quod multi contendunt, maiori frigore laedat, inprimis cerebrum et paroxyſmos noctambulonum, epilepticorum, colica vel calculo laborantium, excitet; num in luna noua et quadratura grauius afficiat; inter eclipſes ſolares et lunares, variosque ſtellarum ſitus, mutationes producat ab Auctoribus paſſim traditas, ex ſententia Noſtri omnino non temere negandum, nec, niſi in obſervationibus caute iteratis acquieſcendum eſt. p. 2.

Alterum caput perſequitur *victum humanum*, adeoque varia cibi genera, non ſolum quae interdum huic corpori proſunt, illi nocent, ſed etiam quatuor modos, quibus eſculenta, et animalia et vegetabilia, ſcilicet modum elixandi, aſſandi, frixandi, condiendi, quorum vnicuique addit vtilitatem ſuam, praeparantur, vbi ſimul ad vaſa culinaria reſpiciendum quoque eſſe dicit. Nam haud pauci viri, iique in arte medica egregii, SENNERTVS, RHODIVS, LANZONVS, MAVCHARTVS, aliique viderunt, cocta et aſſeruata in vaſis cupreis ſaepe nauſeam, vomitus, tormina creaſſe, et ipſe GEOFFROY aquam in his vaſis diu retentam obeſſe arbitratur. Vnde habemus, vti ROVSSEAV, THIERRY et fere omnes recentiores, qui terrea vaſa ſubſtitui cupreis ſerio ſuadeant. Quae tamen omnia, quum ſemper earum rerum, quae in his vaſis coquantur, ratio ſit habenda, non ad vivum reſecanda ſunt. Gummoſa enim, gelatinoſa, mucilaginoſa ſine omni timore his in vaſis praeparari poſſunt, plus vero cautionis poſtulant ſalina, acida, pinguia et oleoſa, quae quidem p. 43.

et ipsa, nisi coctione peracta in his frigescunt, nullum detrimentum Nostro afferre videntur.

p. 55. Sectio I percurrit *victum vegetabilem*, quem in classes quatuor describit, quorum vna continet cerealia, altera olera, tertia radices, quarta fructus arborum, fruticum, atque herbarum ita, vt cuiusuis classis species horum fructuum varias, eorumque vsum etiam apud veteres recenseat.

p. 94. Sect. II enumerat *victum animalem*, vbi primum locum obtinent quadrupeda, ad quorum carnes b. RICHTERVS refert Felinas, Caninas, Asininas, Equinas, Camelinas, porro Cuniculorum, Onagrorum, Sciurorum, Erinaceorum, Vrsorum carnes.

p. 121. Classis II ostendit *victum volatilium*, vbi Auctor dicit, non solum aetatis, loci, pabuli, sed etiam temporis atque diuersae anni tempestatis rationem esse habendam, et quidem ad aues terrestres cicures refert genus Pauonum, quod nostris mensis raro apponitur, vti etiam Grues, Ciconia, Struthio, Sturnus, Onacrotalus, Vrinatrix, Larus, Ardea, reliquaque genera hic commemorata, e numero ciborum nostrorum eiiciuntur.

p 140. Classis III explanat *victum piscium*, qui, Auctore AELIANO, apud Rhodios ita in deliciis habebantur, vt, qui piscibus vterentur, *liberales*, qui aliis cibis, *agrestes* nominarent, vnde apud Graecos nomen *obsonium κατ' ἐξοχὴν piscibus vesci*, significat. Multo longius autem luxu progrediebantur Romani imprimis temporibus LVCVLLI, quem POMPEIVS hanc in rem XERXEM togatum vocat, ideoque CATO dixit, *stare vrbem amplius non posse, vbi piscis maioris pretii esset, quam bos.* Diuidebantur autem apud veteres piscinae in dulces et maritimas, hae, quae nobiliores

biliores erant, ob ingentes ſumtus *amarae* dicebantur, illae vetuſtae, nomen *plebeiae* acceperant. Deſcripſit Noſter in Lacuſtres, Fluuiatiles atque Marinos piſces, eārumque genera et vſum apud veteres, additis ſimul piſcibus exſanguibus, breuiter percurrit.

Sect. I enarrat de *aqua*, vtpote potu omnium ſimpliciſſimo et praeſtantiſſimo, quam THALES, principium omnium rerum eſſe ſtatuit, tranſit deinde ad *cereuiſiam*, eiusque praeparationem, vtilitatem atque ſpecies varias, ſicuti et *vini* perſequitur. p. 172. p. 179. p. 186.

Sect. IV recenſet *potulenta calida*, quae, PLINIO iudice, praeter hominem nullum animal appetere, adeoque naturae eius repugnare; Iaponios contra ſcimus aquam fere ebullientem perpetuo bibere. Ad hos potus calidos Auctor refert, 1) *infuſum Theae*, cuius frutex apud Chinenſes initio menſis Martii optima reperitur, folia eius ſub auſpiciis magiſtratus colliguntur ita, vt, quae in vertice ſedent, tum quae proxime ſita ſunt, et tandem inferiora et infima ſeorſim decerpantur; 2) *infuſum Coffeae*, cuius fructus arbor in felici Arabia ad altitudinem viginti, vel quadraginta pedum aſcendit, ſemper viret fructusque fert vere, aeſtate et hieme, neque veteribus etiam incognita fuit. Hic potus in medio ſeculi CIↃIↃCL per Europam ope mercatorum ex Oriente venientium, qui quum arrideret, tabernas Pariſiis et Londini inſtruerent, innotuit: 3) *Potus Choccoladae*, qui ex nucleis Cacao, ab arbore Indiae Occidentalis, quam Auellanam Mexicanam, vulgo *Cacaotel* vocant, paratur: 4) *Fumum Tabaci*, qui quamvis ad calidos potus improprie referatur, attamen vero quoniam aetatis noſtrae delicium eſt, quippe quae fumo non minus ſuauiter, quam potu, delectatur. Nomen ab Inſula

Americana *Tabago* habet, et herba nicotiana a NICOTO patrono ſuo primo; innotuit vero anno CIↃIↃCLIX.

p. 216. Caput tertium exponit de *Excretis* et *Retentis*, quae quanta attentione digna ſint, ne vel in corpore ſubſiſtat, quod ſalubriter eiicitur, vel intempeſtiue eiiciatur, quod ſubſiſtere diutius in uſum corporis debeat, a RICHTERO hic pertractatur. Inter alia huc pertinentia tentamina cum lotio, alui excrementis, item, quae per perſpirationem e corpore ſecedunt, etc. quoad pondus e. f. p. inſtituta Sanctorianorum *) et Keilianorum **) periculorum mentio eſt facta.

p. 236. Caput quartum tractat de *Motu* et *Quiete*, quae Auctor ratione noxae et ſalubritatis praecipue conſiderat; vtrinque attendi oportere ait ad motus nunc moderatiores, nunc languentiores, nunc vehementiores, atque ad motum quidem voluntarium moderatiorem pertinere oſtendit oſcitationes, pandiculationes, ambulationes; ad motum vehementiorem, ſaltus, curſus, vociferationes, inflationes (tubarum) ponderumque eleuationes etc. (ludere pilis, exercere, digladiari), ad motum externum moderatiorem frictiones, geſtationes, vectionesque in lectica, rheda, aut cymba; ad vehementiorem equitationes (motus in gyrum) et alia: languentiorem non niſi in exceſſu interni motus, ab ipſa morbi

*) SANCT. SANCTORII medicina ſtatica; in AND. RIDIGER de diaeta eruditorum adiectae ſunt ſeptem ſectiones aphoriſmorum de medicina ſtatica cum ſcholiis RIDIGERI, Lipſ. 1728. 8.

**) I. KEIL tentamina medico-phyſica, acc. medicina ſtatica Britannica, Lugd. Bat. 1730. 4.

morbis nato commendat, nec non quietem protractam in morbis acutis quidem convenire, at in plerisque chronicis eo magis nocere, ob vitium lentae circulationis inde natum, quae diſtribuenda retardat, retinet expellenda, retenta corrumpit, demonſtrat.

Caput quintum diſputat de *Somno* et *Vigiliis*. p. 261.
Fuerunt, qui vigilias ſine ſomno optabiliores cenſerent, alii, qui ſomnum laudarent non ſolum vt vitae partem, ſed et meliorem. Quorum primi hanc in rem varia contra ſomnum excogitarunt remedia, atque inſtrumenta, ſtudium autem horum hominum triſtem habuit exitum. Nam in vigiliis maiorem eſſe ſenſus, motusque voluntarii functionum animalium vigorem, languere igitur magis reliquas functiones vitales et naturales ob maiora ſpirituum diſpendia, atque adeo ſomno opus eſſe, qui attrita reparet, fibris in ſtatu vigiliarum tenſis quietem det, cibis tunc ingeſtis digeſtionem parat, omninoque nouas vires conciliet, quis eſt, qui non intelligat? Sed tamen ſemper in menſura ſomni ſalutaris attendi debent temperies corporis, aetas, vitae ratio, nunc otioſa, nunc exercitata, aliaeque cauſae, quae Noſter proponit.

Caput ſextum proponit *animi pathemata*, quae p. 284.
quanta, quamque inſignia non raro procreent mala, veluti apoplexiam, vbi actio animi, ſublata ſpirituum in cerebro ſecretione, perit, paralyſes, vbi motus voluntarii propter vias ſecretis et determinatis humoribus occluſas, abolentur, experientia quotidiana quemque docet. Vnde non errant, qui animum tranquillum eſſe contendunt firmiſſimum ſanitatis praeſidium. Varius autem appàret pathematum ſtatus, pro ratione ſcilicet noruorum affectorum

ctorum, qui haud exiguam in vaſa ſanguifera, quae circumligant, et hinc pulſum luculenter mutant, habent vim, atque adeo nunc aucto, nunc imminuto humorum motu ſanguinem mox celerius, mox lentius agitant. Ex quo imaginationis vis eo magis intelligi poteſt. Sic LANZONVS dolores in brachio vel pede natos, quum iis locis in alio venae ſectionem ſpectaſſet, percepit, WAGNERVS ortos in alia parte tumores, vbi in aliis nati inciſique eſſent, TIMAEVS VON GÜLDENKLEE in ſuo capite dolores ad ſimilitudinem hemicraniae in alio examinatae: alii alia referunt, plura de hac re in hiſtoriis gravidarum reperiri poſſunt.

p. 298. Caput ſeptimum diſſerit de *Venere ſeu exercitio Veneris*, cuius cauſſam principalem, ſemen humanum, quod veteres a cerebro et medulla ſpinali deriuabant et multi a ſingulis corporis membris ſegregari putabant, eiusque originem, deſcenſum ad veſiculas ſeminales, nec non eiaculationem enarrat, atque cum LEEVWENHOECKIO de animalculis ſpermaticis vnam, eandemque ſententiam fouere videtur. Quae quidem ſententia, quamquam ab HALLERO, LINNEO, BONNETO, aliisque dubia facta eſt, nuper tamen ab Ill. GLEICHENIO *) multum confirmata eſſe videtur. Addit denique vtilitatem atque noxam Veneris.

p. 312. Caput octauum docet *Applicata externa*, ad quae Auctor omnia refert ea, quae ad corpus tegendum, purgandum, detergendum, omnimoque contra externas tempeſtatis iniurias defendendum faciunt, quo inprimis pertinent veſtes atque balnea cuiusuis generis.

p. 331. Sequitur tandem appendix, quae continet *exempla quaedam diaetae ſpecialis*, ac primo quidem quomodo

*) v. ſupra p. 265.

modo diaeta ſingularum aetatum ſpatia dirigat; 2) quomodo feminarum valetudini in variis caſibus proſpiciat; 3) quomodo conualeſcentium ſanitatem confirmet, et 4) peregrinantium conſeruet incolumem. Finem facit diaeta principum atque litteratorum.

IV.

S. A. D. TISSOT *ſämmtliche zur Arzneykunſt gehörige Schriften etc. von* IO. CHRIST. KERSTENS. *Zweyter Theil. Leipzig bey Friedrich Gotthold Jakobäer und Sohn* 1780. 8. *Seitt.* 678.

i. e.

S. A. D. TISSOTI opera medica aucta cet. Vol. II. ſtudio IOANNIS CHRISTIANI KERSTENS.

Vtiliſſimi huius inſtituti rationem, prima a nobis huic ipſi volumini noſtrorum commentariorum inſerta et indicata parte, cum dederimus, ad alteram breuiter commemorandam eadem ratione partem, qua ibidem ſumus polliciti, progredimur. Inſunt autem huic parti: 1) de ſanitate eruditorum 2) de illuſtri genere ortorum ſanitate et 3) de onania.

1) Ad morbos eruditorum oriundos multum omnino conferunt continua animi contentio et perpetua corporis quies et partim dein corporis ſitus, vigiliae, aër incarceratus, impuritas, digeſtio turbata, retentio vrinae et alui, ſolitudoque. Studiorum viciſſitudo pariter variorum morborum originibus apud eruditos ſeruit e. gr. apud anatomicos, chemicos, oratores, ac corporis conſtitutio, aetas cet. et medendi methodum aliam atque aliam exigunt. Porro Cl. TISSOT diaetetica proponit remedia, ac primum quidem recreationem miſſis ſtudiis, animique

mique contentionibus, dein corporis motum ſuadet, porro victum et potum, aërem, ſomnum atque nicotianae vſum in ordinem redigit. Finit hunc tractatum de eruditorum ſanitate enumeratio praecipuorum remediorum morbis eorum ſanandis ſeruientium.

p. 44. Febris parua eruditorum, quam Cl. KERSTENS ad febres neruoſas refert, oritur a nutritione laeſa et hic deſcribitur. Nominatur quoque ſpecies nervoſae tabis, phthiſis neruoſa. Solum rhabarbarum hic iuuat. Quaſſia, cuius vtilitatem in ſuperioribus voluminibus noſtrorum commentariorum ſaepe laudauimus, hic in ventriculi debilitate et omnino laeſa digeſtione quoque ſuadetur et cortici Peruviano praefertur.

p. 233. 2) Ad morbos illuſtri genere ortorum progredimur. Variis eiusmodi ſcriptis, vt medicina aulica, de principum valetudine tuenda de togatorum valetudine cet. memoratis, in cauſas firmae valetudinis inquirit atque de cibo et potu, aëre, motu et quiete, animi commotionibus, de ſomno et vigiliis, deque ſe- et excretionibus agit Noſter. Tum perſequitur morbos, qui ſunt nimia ſenſibilitas, dolores capitis, oculorum affectus, exanthemata, podagra, pulmonum, ventriculi, inteſtinorumque labes, viſcerum obſtructiones, calculi, neruoſi morbi, menſtruorum inordinatus fluxus, abortus, incommoda poſt partum, fluorque albus, et de regimine, remediisque cum in genere, tum in ſpecie his morbis ſuccurrendi et medendi diſputat.

p. 419. 3) De onania. Spermatis excretio nimia omnino magna incommoda efficit, eaque multo maiora onania. Atque haec coniunctim primo Noſter contemplatur; poſtea cauſas horum ſymptomatum expendit

pendit et inprimis, quae onaniam ſequuntur periculoſiora; item remedia recenſet; vltimo loco ſimiles morbos, vt pollutiones pertractat. Hic vbique aliorum obſeruationes ſuis addit.

V.

Vermiſchte chirurgiſche Schriften, herausgegeben von IOHANN LEBRECHT SCHMVCKER. *Zweyter Band, Berlin und Stettin bey Friedrich Nikolai,* 1779 8. *m. K. Seitt.* 302. praeter praefationem et indicem.

i. e.

Miſcella chirurgica ſcripta a Cl. IOANNE LEBRECHT SCHMVCKERO edita Vol. II.

Quo incepit laudabili Cl. Auctor conſilio, eo quoque pergit. Ac quum, prima parte indicata *), huius inſtituti rationem dederimus, ad contenta huius partis breuiter reſpiciamus.

1) *De methodo medendae amauroſeos.* Auctore SCHMVCKERO. Cauſarum diuerſitas variat medendi rationem. Signum pupillae immobilis omni non deſtitutum eſſe fallacia Noſter quoque bis vidit. A cauſa venerea ſi amauroſis proficiſcitur, admittit Noſter mercurii vſum cum et ſine ſaliuatione, in et externum, praeterea mercurio vim hoc malum deterius reddendi tribuit. p. 1. p. 24.

2) *De diuerſis lactis aberrationum ſpeciebus.* Auctore EODEM. His exemplis confirmatur periculum, quod cum hoc morbo coniunctum eſt. Noſter feliciter detexit, incidit et ſanauit hos abſceſſus lacteos, etiamſi ipſa oſſa iam carioſa erant. p. 29.

3) *De*

*) v. ſupra p. 315.

p. 51. 3) *De felici operatione herniae compoſitae.* Auctore EODEM. Erat hydrocele cum omento et inteſtinis, et omnia inter ſe concreta erant. Septum ſcroti verſus dextrum latus compreſſum et funiculus ſpermaticus, qui ſub ſacco hernioſo ſolet eſſe, ſupra eum ſimul cum teſticulo conſpiciebatur. Noſter vidit ab eius diſſectione mortem in alio exemplo, vbi eiusmodi operationi intererat. Hanc itaque Noſter euitauit in hac felici operatione. Nona ſeptimana vulnus ſanabatur, poſtquam ligatae omenti portiones deciderant et annulus penitus clauſus erat. Omenti partim exſtirpati, partim ſeparati portio ponderabat circiter duas libras.

p. 63. 4) *De vulnere capitis periculoſo feliciter ſanato.* Auctore EODEM. Etiamſi vulnus erat ſatis complicatum et malignis ſymptomatibus ſtipatum, tamen exfoliatio 48 die rite ſuccedebat et 57 die vltimum fragmentum oſſeum euocabatur. Quo facto omnia in dies in melius vergebant et finito tertio menſe aeger ſanitati prorſus erat reſtitutus.

p. 73. 5) *De amputatione digitorum in extremitatibus vtrisque.* Auctore Cl. BLOCH. Exempla huius operationis hic tradita attinent partim morboſum ſtatum harum partium, partim digitos a natiuitate numero peccantes, qui amputationem vrgent. Frigore enim tactae, vel alia violentia externa vexatae partes ſponte quidem quoque abscedunt, vti Noſter pariter vidit *), attamen tardius. Porro naſcuntur infantes ſex digitis tam in ſuperioribus, quam in inferioribus extremitatibus **), vti Noſter ab vna matre prorſus cum patre ſana, aliquoties obſeruauit, qui ob varia incommoda inde proficiſcentia

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 333.
**) v. ſupra p. 316.

ſcentia ſuperflui erant amputandi. Icones additae ſunt.

6) *Continuatio tentaminum ſupra effectus bella-donnae cum ſanatione herpetum.* Auctore Cl. OTTO IVSTO EVERS *). Belladonna cum rhabarbaro vſus eſt in ſcirrhoſis vteri excreſcentiis, partum viuum nouies in vno et altero exemplo bis impedientibus. Malo enim hoc ſublato, vtraeque mulieres viuum et vegetum ediderunt fetum. Belladonnam ſpecifice agere in vterum aſſerit Noſter, atque cantharidibus externe applicatis herpetem ſuſtulit. p. 89.

7) *Variae obſeruationes* a diuerſis Auctoribus. p. 103
1) Calculus inteſtini recti. 2) Belladonnae effectus infauſtus in carcinomate. 3) Pectoris vulnus, quo ſiniſter pulmonum lobus, pericardium et cuſpis cordis laeſa erant, ſanatum intra quinque ſeptimanas, Auctore Cl. OLLENROT. 4) Aquae calcis cum lacte mixtae vſus in internis vlceribus, Auctore EODEM. 5) Vulnus capitis ſanatum, Auctore EODEM. 6) Aquae, Auctore EODEM, frigidae effectus in quibusdam morbis. 7) Vulnus capitis feliciter ſanatum, Auctore EODEM. 8) Coecitas et ſurditas tartari emetici vſu ſublata, Auctore Cl. PVSCHEL. 9) De fragmento oſſeo, quod tredecim annos femur ſine vlla moleſtia occupauerat, ſeparato, Auctore Cl. HORN. 10) De abuſu venaeſectionis magnis diurnis nocturnisue itineribus ſiue tempeſtate calida factis, Auctore EODEM. 11) De carie in oſſe frontis, a topho venereo profecta, et per ſeptem annos latente, Auctore EODEM. 12) De prolapſu vteri inuerſi et ſcirrhoſi letali, Auctore EODEM. 13) De vulnere ſclopeti, qui penetrans in colon, per anum exibat et

*) v. ſupra p. 318.

et aeger ſanitati reſtituebatur, Auctore Cl. VOIGTEL. 14) De vtilitate amputationis in aegris debilitatis, Auctore Cl. BVDEO. Aeger maiorem in modum poſtulabat hanc opem et, etiamſi alii contra amputationem dicerent, debilitatis cauſa, Noſter eam in hoc exemplo vtiliter inſtituit. 15) Vulnera capitis attinentes obſeruationes, Auctore Cl. SELLIN. 16) Corticis Peruuiani efficacia in vlceribus et debilitate, Auctore EODEM. 17) Sphacelus antibrachii a polypo ortus, Auctore Cl. MORGENSTERN. 18) Exſtirpatio carcinomaticae clitoridis a Cl. KRAMER ita inſtituta eſt, vt poſtea tamen haec mulier grauida fieret. 19) Sponte et infeliciter ruptum aneuryſma, Auctore EODEM. 20) Hiſtoria inueterati venerei mali cum cranii carie, Auctore Cl. MÜLLER, quod intra nouem menſes penitus eſt ſublatum. 21) De commotione cerebri, Auctore Cl. KLEMANN. 22) De effectu tartari emetici in cerebri commotione, Auctore Cl. CREVZWIESER. 23) De ſcrophulo inſigni penitus ſanato, Auctore Cl. SELLIN. Aſthmaticus iam in prima iuuentute animadvertebat dextrum latus glandulae thyroideae craſſius et per annos haec craſſities glandulae ita, vt trium librarum pondus aequaret, augebatur praeterea accedebat moleſta et ſonora tuſſis. Non diu poſt ſuperueniente pleuritide, quam, ob auxilii medici defectum, negligere oportebat, dolor quidem ceſſabat in latere, attamen febris relinquebatur, in lentam ſubinde tranſiens. Ab eo tempore tumor crescebat et magis dolebat, quo reſpiratio breuior et moleſtior reddebatur. Tum Noſter in conſilium vocatus ſuadebat cicutae emplaſtrum; et remediis variis, venaeſectione, cortice, cet. vſus eſt ad diſcutiendum tumorem. Cum vero haec curatio plane non Noſtri votis reſponderet, emolliendum eſſe tumorem arbitrabatur. Tumoris tum magnitudine et lenta febre auctis, incidere cogebatur et magna

magna copia puris effluebatur. Dein extrahebatur os album erosum, plane a vicinis ossibus diuersum et, vti Nostro videtur, in hoc scrophulo ortum *), magnitudine et figura ossium carpi. Quo facto vulnereque consolidato, tota haec curatio spatio sex mensium absoluebatur aegerque plane sanitati restituebatur. 24) De operatione incarceratae et sphaceloſae herniae inguinalis cum testiculi exstirpatione, Auctore Cl. WEIDELE. 25) De effectu frigidae aquae in ventriculi spasmo, Auctore Cl. HEMMAN. 26) De retentione vrinae ex grauiditate sanata, Auctore Cl. HAGEN. 27) Hernia cum ruptura intestini sanata relicto ano artificiali, Auctore Cl. LANGE. 28) Vlcus in facie venereum sanatum, Auctore EODEM. 29) Paralysis brachii a similibus causis, Auctore EODEM. 30) Polypus ani deligatus est ita, vt ne recens appareret. Auctore EODEM. 31) De noxiis effectubus ab abusu potulentorum spirituosorum, Auctore Cl. VOELKER. 32) De aneurysmate pulmonalis arteriae, a Cl. EISENSCHMID. 33) De peculiari specie herniae intestinalis, Auctore Cl. HEMMAN. Mors huius aegri pendebat a penitus laesa digestione; et inflammatio coeci in hac hernia contenti accelerabat eam. Quae inflammatio non orta erat ab incarceratione, quoniam annulus valde dilatatus deprehendebatur, sed absque dubio ab acribus retentis impuritatibus. 34) De raro sclopetorum vulnere per collum feliciter sanato, Auctore Cl. RÜDIGERO. 35) De luxatione femoris repositi exempla a Cl. SONDERSHOFF et OTTO collecta, quibus additae sunt Cl. SCHMVCKERI annotationes. Quae exempla confirmant, repositionem humeri et femoris fieri posse, etiam temporis cuiusdam spatio praeterlapso.

*) Simili modo b. GREDINGIVS in cerebro os reperit. v. comm. nostr. Vol. XX. p. 693. it. Vol. XVI. p. 530.

lapſo. 36) De letali perforatione inteſtinorum a vermibus, Auctore Cl. LÜDÜCKE. 37) Singularis curatio hydroceles, Auctore Cl. SCHWINDT. Sanabant huic aegro Noſter ſuſpenſorium et vaporem ex aceto vini, et inter eas fomentationes linteum triplicatum aceti vino ſaturata externe applicabantur. Sexto die poſt per noctem ſudauerat ſcrotum ita, vt inde effluxum et lodix humectarent tumorque penitus euaneſceret diſcuſſus. Sed tertio die tumor iterum apparebat, repetebantur externa haec remedia et tumor ceſſabat eodem effectu remediorum atque ſic quater tumor redibat, repetitis his vero remediis, aeger ſanitati ſuae reſtitutus. Si hoc malum recens eſt et pendet a debilitate et relaxatione vaſorum, poſſent fortaſſe haec ſimplicia remedia hic iuuare. 38) Hiſtoria chronicae fiſtulae cum animaduerſionibus abſceſſus lentes tractandi, Auctore Cl. SEELIGER. Lectu digna quoad chirurgiam, remediorum adhibitorum tam pharmaceuticorum internorum et externorum, quam diaeteticorum cet. hic proponuntur. 39) De ſemine ſabadillae aduerſus taeniam, Auctore eodem. Semen hoc acre et cauſticum eſt, et intus ne datum inflammationes et ſphacelum *) effecit. Cl. GLEDITSCH **) hoc ſemine lectu dignas cautiones nuper retulit. 40) et 41) De vulneribus capitis letalibus, Auctoribus Cll. RVDIGER et OTTO. 42) De corruptione ſepti ſcroti ab internis cauſis, Auctore Cl. GROSS. 43) De exſtirpatione felici ſcirrhoſi tumoris, a furunculo male tractato ibi, vbi eſt ginglimus maxillarum, orti, Auctore Cl. SCHWINDT. 44) De vulnere ſclopeti in humero letali, Auctore Cl. SONDERHOF. Cl. SCHMVCKER hanc obſeruationem exempli loco proponit, ex quo patet, non ſemper eſſe intermittendam amputationem. Quae ſi hic fuiſſet facta, grauibus ſymptomatibus, quid quod morte

*) v. infra p. 666. **) v. ibid.

morte potuiſſet aeger ſuperſedere. 45) De permagno ſteatomate in ſiniſtro femore letali, Auctore Cl. DEVRIENT. Tumor ab inguine vſque ad genu tendebat. Erat ſaccus per totum femur ſeſe extendens, quae ponderabat ſex libras. Quo aperto, multa parua ſteatomata in conſpectum veniebant, quae partim cum ſacco ipſo coniuncta, partim ab eo ſeparata et libera erant cet. 46) De vtero cum vagina deficiente, Auctore Cl. MEYER. Simile exemplum alibi *) memoratum eſt. Secto cadauere Cl. MEYER, ob vulnera in pelui facta, incidit Noſter in ſuſpicionem ob grauiditatis tumentes mammas. Reperiebat autem neque vterum, nec vaginam, eorumque loco leuem tunicam celluloſam, quae cum viciniis non connectebatur, cum tubis autem Fallopianis et ouario cohaerebat, non admodum praeter naturam formatis. Labia externa et clitoris erant parua et clitoris nymphis deſtituta. A perinaeo in conſpectum veniebat continuatio cutanea externa, quae orificium, quod vagina praeſente hic reperitur, claudebat et ſub vrethra ſeſe firmabat. Vrethra erat valde extenſa, absque dubio a viro per eam concubitum celebrante, qui multis cum moleſtiis, vti fatebatur maritus, eſt factus. Nunquam autem paſſa eſt catameniorum fluxum, quam ob rem graviditas nunquam exſpectata eſt.

*) vid. comment. noſtr. Vol. XX. p. 145.

VI.

IOSEPH MOHRENHEIMS, *der Wundarzneykunſt, Geburtshülfe und Augenkrankheiten Meiſtern, der medicinifchpraktiſchen Lehrſchule in Wien zugethan Wundarztes, Beobachtungen verſchiedener chirurgiſcher Vorfälle, mit Kupf. Erſter Band. Wien bey R. Graeffer* 1780. 8. 214. *Seiten.*

i. e.

Obſeruationes chirurgicae Auctore IOSEPHO MOHRENHEIM.

Verſantur potiſſimum hae obſeruationes circa morbos oculorum, cancrum mammarum et herniam inguinalem, quibus et multae aliae lectu dignae ſunt adiectae, ſicuti et Noſter varia inſtrumenta propoſuit, quae omnem promeruere attentionem. Offerebatur etenim Cl. MOHRENHEIM multa obſeruandi opportunitas, cum ſcilicet turris pulvere pyrio repleta prope Viennam, ſummo infortunio accenderetur, ita vt vulnerum capitis, fracturarum et luxationum curationem variis illuſtrauerit obſeruationibus.

p. 6. Quod oculorum morbos attinet, vidit Cl. Auctor
p. 14. amauroſes cum pupilla mobili. Color caeruleſcens perlaceus lentis, ſitus eiusdem remotus a pupilla atque dolor in oculo premens indicant cataractae
p. 19. duritiem; ſicuti color cataractae maculatus, lentis verſus anteriora oculi nimia vicinitas, immobilitas et magnitudo pupillae atque oculus protuberans
p. 46. ſigna mollis cataractae ſunt. Curatio poſt cataractae extractionem plerumque triplicem habet exitum, vel enim margines diſſectae corneae mox operatione inſtituta ſibi incumbunt vel ſe decuſſant, vel

inter

inter eos ipſos iris propendit; ne igitur vterque hic exitus accidat, ſitus in lecto ſuadendus eſt, neque corneae adeo minuta ſectio. Laciniae inuolueri lentis, quae propter depreſſionem cataractae, ſicuti ſanguinei globuli remanent atque humorem aqueum obſcurum reddunt, vel ſponte vel medicaminibus rite adhibitis facile diſſoluuntur. Cum extractionem ſequantur inflammationes et cataractae ſecundariae, haec operatio modo in ſanis corporibus inſtituenda eſſe videtur, ita, vt in iis coecis, qui vel cephalalgias, dentium dolores, eryſipelata periodica, vel ſpaſmos, rheumata et conuulſiones experiuntur, depreſſio ſemper extractioni praeferenda ſit. Propoſuit in hunc finem acum conicam ſubtilem ex argento confectam, atque hamulum, quorum inſtrumentorum primum in ipſa depreſſione adhibet, alterum autem in deſtructione lentis capſulae. p. 61.

Deinde leguntur et alia obſeruata. Vulnera in grauidis difficulter curari et ſaepe demum poſt partum vidit exemplo feminae, cui vulnus capitis infligebatur. Excreſcit ſaepe in grauidarum vulneribus caro fungoſa atque ſuppurationis loco excernitur alba aliqua pituita. Exhibet in eorundem cura roborantia, exſiccantia, et lenia eccoprotica vna cum accurato diaetae regimine. p. 100.

Febres noſocomiales, quae vulnera et puris indolem ſaepenumero mutant, oriuntur ab aere putrido, motu impedito, animi pathematibus, victu nimio vel non bene electo; purgantibus autem atque emeticis facile plerumque cedunt. In vulneribus a ſclopeto factis conuenit, quia non adeo multum ſanguinis perditur, parua venaeſectio. Mox diiudicat Cl. Auctor herniae inguinalis incarceratae p. 112. p. 132. p. 133.

naturam, methodos varias atque operationis difficultatem. In viginti cadaueribus, quibus arteriae ceracea materia replebantur, inuenit sectionem introrsum et transuersim directam esse optimam.

Caeterum describitur nouus ad herniotomiam culter et specillum, noua ad amputationem humeri ex articulo fascia tortilis, atque singularis spinae bifidae casus. Singula illustrantur iconibus.

VII.

WILLIAM HUNTERS *Bemerkungen über die bey schweren Geburthen empfohlne Zertheilung der Schaambeine, nebst des Herrn* JUMELINS *Abhandlung über eben diese Materie. Aus dem Französischen und Englischen übersezt. Leipzig bey Weidmanns Erben und Reich* 1779. 8. m. K. *Seitt.* 57.

i. e.

Cl. GVILIELMI HVNTERI annotationes super synchondrotomiam pubis simul cum Cl. IVMELINI tractatu eadem de re.

Ex praemonito intelligimus, has annotationes Hunterianas appendicis loco 1. VAUGHAN'S *) obseruationibus de hydrophobia adiectas hic in Germanicam translatas esse linguam. Cl. HVNTERVS parui facit hoc auxilium, quod Cl. BRINKMANN **) confirmauit. Quod attinet ad tractatum Francogallicum

*) Vid. Cases and observations on the hydrophobia. Lond. 1778. 8.

**) vid. EIVSDEM *Bemerkungen über die neuerlich vorgeschlagene und an einer Reisenden verrichtete Operation der Durchschneidung der Schaambeine*, Düsseldorf 1778. 8.

gallicum Cl. JUMELIN *), contra HVNTERVM quidem ille ſcriptus eſt, continet tamen vtilia ideoque in hac verſione Germanica additus eſt. Quae cum ita ſint, conſtituimus quoque hanc verſionem cum Lectoribus communicare noſtris.

Cll. viri SIGAULT, LE ROY et CAMPER aliique **) hanc rem propoſuerunt. Cl. HVNTERI annotationes ſuper laudatam ſynchondrotomiam pubis in partubus difficilioribus eo redeunt, vt, crudelitate huius operationis demonſtrata, aſſerat eam minime locum partus caeſarei omnino implere, vncum ſeu hamulum etiam ſuam hic praeſtitiſſe opem, et prudentiſſime tardiſſimeque inſtituendam eſſe. Quod ſi vero ob nimiam peluis anguſtiam, propter magnam eminentiam vertebrarum lumborum cet. vncus plane non applicari poſſit, aut cum incerto euentu, videtur haec ſynchondrotomia partui caeſareo praeferenda eſſe. p. 1.

Cl. VAUGHANS relatio de partu caeſareo. Die Veneris operatio haec inſtituebatur verſus veſpertinum tempus atque verſus matutinum diei Martis moriebatur aegra neonatus autem alacriter viuebat. Abdomen ex flatulentia nimis erat expanſum. Quo aperto, nullus ſanguis nec coagulatus nec fluidus, ſed obſcure tinctus et male olens humor effluebat. Inteſtina, vt ſolent, formata, nullam prodebant inflammationem, praeter paruam portionem inteſtini ilei floreni magnitudine. Haec obſcure fuſca portio adhaerebat externo vulneri. Pro temporis ratione p. 24.

*) ROZIER Journal de phyſique cet. Septembre 1778. p. 189.

**) v. vtilem et lectu dignam diſſertationem a Cl. MICHELL de ſynchondrotomiae pubis vtilitate in partu difficili, quam non diu poſt indicauimus.

vterus ſatis contractus, vti in naturali partu, eius vulnus plane non erat clauſum. Pars vteri ſupra oſſa pubis propter peluis anguſtiam maxima erat, habens obſcure fuſcum colorem et ſphacelum.

p. 32. Orificium penis in neonato clauſum aperiebatur leui inciſura. Summa praeterea gaudet ſanitate et egit, dum haec ſcripta ſunt, ſecundum aetatis annum.

p. 33. Breuis hiſtorica relatio hactenus collectarum obſeruationum pro et contra hanc operationem Cl. JUMELIN. Potiſſimum in hac operatione Noſtro videtur eſſe reſpiciendum ad violentiam, quam patiuntur ligamenta peluis poſteriora, quippe qua omne periculum huius ſynchondrotomiae ſpectatur. Atque hic Cl. JUMELIN confugit ad experientiam in poſterum, incertitudinem huius operationis non negans. Coniungimus hic vtilem et accuratam collectionem ipſam eamque rem attinentem

VIII.

Diſſertatio inquirens ſynchondrotomiae pubis vtilitatem in partu difficili, praeſide GVALTHERO VAN DOEVEREN, Auctore *Iano Peterſen Michell.* MDCCLXXXI. Lugdun. Batav. apud P. van der Eyck et D. Vygh. 4. pagg. 58. praeter dedicationem et praefamen.

Lectu et notatu dignus eſt hic tractatus, quem Lectoribus pariter placiturum eſſe, ac nobis non diſplicuit, putamus. Noſter primum in exercitationibus diſputatoriis oſſa pubis in partu a ſe inuicem recedere poſſe, non ideo tamen probabilem eſſe

esse synchondrotomiae in partu difficili, proponebat ad disceptandum. Cum vero per aliquot annos de hac ossium pubis dissectione feliciter infeliciterque praestita permulta in diariis et aliis scriptis in vtramque partem legerentur, factum est, vt fautorum et aduersariorum argumenta vtrinque colligere et commoda et incommoda huius operationis persequi, et quid sentiat, addere Cl. MICHELL secum constitueret. Dolet Noster inter pauca, quae ad manus suas non peruenerunt, scripta, CAMBIONIS epistolam esse.

Vt autem saltem videant Lectores, quid Noster hic egerit, repetamus illas quaestiones, ad quas accurate sibi respondendum esse arbitratus est. 1) Num naturalem peluis ossium dilatationem ars sequi debeat adeoque natura synchondrotomiae pubis dux sit? 2) An fabrica peluis huic operationi obstet eamque absque periculo grauidae pati possint? 3) An obseruationes hactenus pro hac operatione militent? 4) An experimenta in cadaueribus et animalibus capta, eam in difficili partu vtilem esse probent? 5) An casus determinari possint, in quibus conuenire et operationis caesareae vice fungi possit? 6) An operatio caesarea tam crudelis et periculosa sit, quam multi conantur asserere?

His itaque praemissis, accurate collectis et probatis, arbitratur Cl. MICHELL ea sufficere ad probandum, synchondrotomiam ossium pubis in nullo omnino casu partus caesarei vice adhibendam esse: vnicum autem determinari tantum posse casum, vbi conueniret haec operatio et vncorum vsui praeferri mereretur, nisi tot tantisque malis premeretur, vt vel in illo puerperae vita summum incurrat periculum.

IX.

IX.

E. D. SANDIFORT obſeruationes anatomico pathologicae. Liber tertius. L. B. apud P. v. D. EYK et D. VYGH 1779. 4. c. f. pag. 170.

Tertio huic libro*) inſunt haec:

1) *De hernia vmbilicali, plurima abdominis viſcera continente; inteſtinorum, renum, veſicae, cordis praeſertim fabrica praeternaturali aliisque in cadauere fetus obſeruatis.* Commemoratis diligenter, vti ſolet Cl. Auctor, exemplis aliorum Auctorum ſimilibus, hunc communicat caſum rarum. Femina 45 annorum nona vice grauida, tertio menſe a graui lapſu dolores magnos perſentiſcebat, qui ſupernebant minores maioresque vſque ad ſeptimam graviditatis menſem. Quo facto facile pariebat ſingulari modo conformatum et morboſum fetum, qui ſummam ob debilitatem cito exſpirabat. Liceat autem nobis pro inſtituti noſtri ratione, quaedam modo breviter enarrare. Tumor in abdomine praeternaturali vmbilico adhaerebat ſeptem pollicum cum dimidio habens, hepar inteſtina cet. per transparentem membranam quodammodo conſpicua complectens, ex quo funis vmbilicalis emergebat, herniamque, qui ſiſtebat, vmbilicalem. Infra tumorem abdomen erat valde contractum. Teſtes in ſcroto deerant. In dorſo hiatus erat tres pollices longus, cuius margines liuidi; interiora omnia
p. 9. rubicunda apparebant. Suprema in parte veſicula conſpiciebatur, humore plena, infra illam hiatus digitis percipiebatur, tum vero prominebat inſigniter

*) Antecedentes v. Comment. noſtr. Vol. XXII. p. 402. et Vol. XXIII. p. 506. laudauimus.

ter os ſacrum. Veſicula formabatur a medulla ſpinali, in tumorem paruum exſurgente, tota degenerata, ſanguinolenta, nec vltra hunc locum ſeſe extendente. Tegebat hiatum totum tenera membrana, qua ſeparata, dictus medullae finis demum apparuit. Partes laterales oſſeae vertebrarum multum a ſe inuicem receſſerant conſumta cartilagine, quae illas ceterum nectit et in proceſſum ſpinoſum tempore procreſcit.

Cor huius fetus conueniebat cum illo rariſſimo, quod Cl. SANDIFORT *) alia occaſione diligentia multa deſcripſit et nitidis iconibus explanauit. Confirmat itaque haec huius fetus valdopere deformis obſeruatio notatu et lectu digniſſima et elegantibus iconibus illuſtrata coniecturam, vitium huius cordis connatum fuiſſe. p. 17.

2) *De piae matris aliarumque partium oſſificatione.* Aſperae arteriae maximam cartilaginem, thyreoideam plane oſſeam Noſter conſpexit, item totum aſperae arteriae caput vna cum epiglottide et piam matrem variis in locis cet. Plura exempla ab aliis memorata hic addit Noſter. p. 42.

3) *De letali vrinae ſuppreſſione ex calculo vrethrae impacto, indeque nata duplici huius canalis ruptura.* Tredecim menſes natus admodum debilis infans his calculoſis moleſtiis erat obnoxius tandem letalibus. Haeſit, vti ex ſectione elucet, calculus in vrethra, qui viam vrinae praecludens, ſuppreſſionem ipſius produxit, et ſummis, quos edidit, vt veſicam exoneraret puer, nixibus vlterius propelli non valens, vrethram hoc in loco dilatatam, inflammatam, imo gangraenoſam lacerauit, ſic vt vrina ſeſe in cellulоſam ſcroti, inguinum, perinaei, proximique femoris p. 53.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 462.

ris euacuaret et vesica esset liberata, donec, saccо il-
lo praeternaturali nil amplius admittente, iterum
distenta enormiter vesica vrinaria ad altitudinem in-
signem adscenderet.

p. 61. Quod attinet ad chirurgicum auxilium, his cal-
culosis adhibendum, cernitur hoc vel in calculo,
immisso vrethrae instrumento, protrahendo, aut, fa-
cta sectione eximendo vel et, (quod tamen non suа-
dendum) cathetere in vesicam repellendo. Natu-
ra sibi prospicit vel sic cauando sensim calculum,
vt vrinae exitum non plane impediat vel excitando
abscessum in perinaeo, qui vel sponte vel arte aper-
tus vrinae egressum permittit et chirurgo viam
monstrat, qua calculus sit euocandus. Licet in
priori casu calculus adeo increscere solet, vt vrina
plane excerni nequeat, nisi calculus remoueatur.
Diligenter et hic exempla a Nostro collecta sunt.

p. 71. 4) *De calculo lacrimarum viis exsecto.* Exime-
batur apud virginem nobilem calculus verus, pi-
formem habens figuram, quem lente microscopica
nonnihil adauctum additae figurae repraesentant.
Atque ita feliciter haec exstirpatio est facta, vt la-
crimae per biennium iuxta genas continuo defluen-
tes, per naturalem viam ad nares tenderent et
omnino sana euaderetur aegra. Pauca adnotata
vidit Noster exempla, quae cum suo conueniunt.

p. 79. 5) *De insigni peritonaei crassitie, duritie et abdo-
minalium viscerum ferme omnium concretione.* Fo-
ramen ouale adeo patebat, vt non solum eandem,
sed maiorem etiam, quam in fetu, haberet apertu-
ram. Valuula Eustachiana admodum reticulata
egregium exhibebat spectaculum. Praeterea in
pectoris cauitate nullae eiusmodi concretiones vti
in abdomine, in conspectum veniebant. Pulmones
enim

enim cum pleura leniter cohaerebant, cor integrum cet.

6) *De ouo humano.* Confirmantur hic exemplis ea, quae alibi*) a Noſtro ſunt prolata. Ouum tertio grauiditatis, vt videbatur aegrae, menſe emiſſum, nullum continuit fetum, ſed veſiculam, qualem antea delineauit in libro ſecundo obſeruationum, licet maiorem. In turbido humore fluctuabant, quae fetus reliquiae videbantur. Aliud, ſub profluuio continuo ſanguinei ſeroſi humoris ex genitalibus per quinque menſes demum apparebat. Membranae eius, decidua externa, decidua reflexa cet. diſtinctae erant, fetus vero tali conſtitutus modo deprehendebatur, vt ſi vterus diutius ouum retinuiſſet, fetus omni alimento deſtitutus, ab ouo ſeparatus, corruptus conſumtus fuiſſet. Interiora oui inaequalia erant. Funis vmbilicalis tenerrimus, obliterata vaſa tria penitus euaneſcebant, in parte craſſiore funis, vbi maxime contractus erat cet. Hoc ouum quoad membranas, fetum et funem vmbilicalem varia notatu digna exhibuit ſic, vt huius delineationem vtiliſſimam Noſter cenſeret. p. 91.

7) *De rene numero vnico, ſed functione duplici.* Hic ren monſtroſus ſeu renes, ſic inuicem concreti, vt vnicum renem ſemilunarem quaſi, functione revera duplicem repraeſentent, eſt hic accurate deſcriptus et delineatus, aliorumque exemplis illuſtratus, et dum ex vtraque parte peluis prodibant, ſuum in vreterem deſinens, functione duplex dici merebatur. Conuenit cum illo, quem HALLERVS*) deſcripſit. p. 96.

8) *De ſuturis oſſium cranii.* Commiſſuras oſſium caluariae, quas futuras vocant, non in omnibus capitibus p. 103.

*) vid. Comm. noſtr. Vol. XXII. p. 467.

pitibus eodem modo ſeſe habere, ſed in his, vt in officulis, quae triquetra multis dicuntur, inconſtantiam naturae perſpici, Noſtri etiam obſeruationes probant, quibus aliorum addit. Aſſeruat Noſter caput adulti hominis, in quo plane nullum ſagittalis, coronalis lambdiformis ſuturae veſtigium eſt, et reliqua oſſa ferme omnia adeo concreuerunt, vt vix a ſe inuicem diſtingui entur. In duobus craniis os occipitis per mediam transuerſam ſuturam in ſuperiorem et inferiorem diuiditur. Os occipitis iuniorum fiſſum eſt, Noſter vero habet os cranii, in quo hae fiſſurae non deletae ſunt, ſed earum loco ſutura inuenitur. In facie ſuturae pariſſime ſe exhibent; vidit tamen dextri lateris os iugale vera ſutura in binas partes, ſuperiorem et inferiorem diuiſum, quod cum vix vnquam obſeruatur, dignum erat, quod icone illuſtraretur, cet.

p. 115. 9) *De officulis futurarum.* Officulis Wormianis conſideratis, varia exempla, magnitudine, numero ſitus maxime notabilia hic a Cl. SANDIFORT aſſervata communicantur, iconibus illuſtrantur, aliorumque obſeruationibus confirmantur.

p. 121. 10) *De oſſibus diuerſo modo a ſolita conformatione abludentibus.* In artubus magis ſibi conſtare videtur natura, quam in cranio et trunci oſſibus. Varias itaque aberrationes eiusmodi hic a Noſtro enarrantur et dentium praeſertim iconibus illuſtratae ſunt, tam in ſuperiori, quam in inferiori maxilla.

X.

Schriften der Berliniſchen Geſellſchaft naturforſchender Freunde. Erſter Band, mit 10 Kupfern. Berlin 1780. Im Verlage der Buchhandlung der Realſchule. 1 Alphab. 6 Bog. in 8. Zweyter Band, 1 Alphab. 4 Bog. ib. 1781. eod.

i. e.

Scripta Societatis Berolinenſis naturam ſcrutantium amicorum Vol. I et II.

Eadem ratione, quam in Actis a nobis ſupra *) laudatis ſecuta eſt Societas, etiam haec, mutata tantum inſcriptione, ſcripta continent tractatus ſociorum indigenorum et exterorum. In praemiſſo prooemio Sociorum nomina traduntur. Ad indigenos acceſſit Cl. HERBST, Doctor in Academia Equitum Regia, et verbi diuini miniſter. Ipſi autem primi voluminis tractatus ſunt ſequentes:

1) *Hiſtoria naturalis Cerui Tarandi*, Auctore GVIL. Comite A MELLIN. Obſeruatis lectu dignis Ill. Auctor hiſtoriam huius animalis illuſtrat, id tamen nobis non arridet, quod terminos technicos venatorum, loco eorum, quibus in hiſtoria naturali vti ſolent alii, adhibeat: ita enim ſaepe obſcuritas et ambiguitas dictionis oritur. *Cervus Tarandus* ſub initium Ianuarii cornua deponit; atque noua cornua ſpongioſo corio ſ. cortice obtecta ſunt: ſub finem Iulii cornua noua ſub cortice indurata ſunt atque ad debitam magnitudinem adcreta, ita, vt cortex primis Auguſti diebus deiiciatur. Erravit igitur EDWARDS, qui corticem hunc ſemper Vol. I. p. 1.

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 682. et Vol. XXIV. p. 199.

per in cornibus *Tarandi* inueniri perhibuit. Demisso cortice cornuum, *Tarandus* pilorum colorem mutat. Singulare est, in eodem membranam narium pilis etiam esse obtectam, quos ideo datos esse putat Ill. Auctor, vt nares a vehementi frigore defenderent. Differt a *C. Elapho*, praeter cornuum diuersitatem, capite longiori, robustiori, nasoque crassiori, collo non erecto, sed protenso seu dependente, vngulis multo latioribus, talisque succenturiatis longioribus. Icon viuis coloribus picta, et descriptio vberior, dimensioque partium addita sunt.

p. 36. 2. *Descriptio lacus Müggel*, a Cl. I. E. SILBERSCHLAG. Pericula et abyssus, quae dicuntur, nulla in hoc lacu esse refert Cl. Auctor: atque causas periculorum magis in nauibus esse quaerendas. Deinde motum lapidum in lacubus et fluuiis post hiemem a glacie rupta et vento pendere demonstrat. Huic tractatui addit Cl. BLOCH descriptionem auium et piscium circa hunc lacum et in eodem obseruatorum.

3. *Descriptio Monoculi noui, in pisce* Hemorrhoo *nidulante*, Auctore Cl. HERBST. In Oceano circa insulas Ferroënses captus est hic piscis, atque medius videtur hic *Monoculus* inter *Polyphemum* atque *Apodem*, cuius descriptio icone addita egregie illustratur.

p. 68. 4. *De Achate*, in *quo baccae, forte Sambuci racemosi, inclusae atque subpetrificatae erant*, Auctore Cl. KLIPSTEIN. Singularis est omnino varietas Achatae; at videtur tamen nobis magis Achates botryticus, massa terrea non soluta repletus.

p. 78. 5. *De historia mineralium Nassauiensi, et monte vrente Dutweliensi in Ducatu Nassau Saarbrücken*, Auctore

Auctore C. F. HABEL. Breuis est relatio, prodromi instar, vberiori praemissa. In ducatu *Nassau Saarbrücken* montes sunt stratosi, qui lithanthraces optimos continent: stratum lithanthracum saepe 10-14 pedes latitudine aequat. Accidit, vt casu lithanthraces ad superficiem montes accenderentur, quorum ignis ima petens omne superius lithanthracum stratum incendebat.

6. *Descriptio Buprestidum, circa Berolinum inuentarum, additis quibusdam de historia naturali eorundem obseruationibus*, Auctore I. F. W. HERBST. Detexit Cl. Auctor laruam et pupam Buprestidis nouae, quam a quercu denominat, in ligno quercus habitare, atque exinde probabiliter colligit, reliquas huius generis species etiam in ligno metamorphosin subire. Species descriptae sunt: *Buprestis quercus*. 2. *B. aeruginosa*. 3. *B. octoguttata*. 4. *B. mariana*. 5. *B. Berolinensis*. 6. *B. chrysostigma*. 7. *B. cyanea*. 8. *B. nitidula*. 9. *B. quatuor punctata*. 10. *B. haemorrhoidalis*, noua *B. rusticae* LINN. propinqua, forte idem. 11. *B. minuta*. 12. *B. elongata*. Icones desunt. p. 85.

7. *Descriptio nouarum Lepadum et Ostreae Islandicae*, additis earum iconibus, a *L.* SPENGLER. Prior *Lepas verruciformis* insidet Ostreae Islandicae, vel Murici despecto vel Lepadi Balano. Altera dicitur *Lepas patelliformis*, quoniam Patellae saccharinae admodum similis est. Habitat Tranquebariae. p. 101.

8. Cl. CAMPERI additamenta ad tractatum de lue bouina *). Primo expertus demonstrat carnem boum lue demortuorum intra spatium decem annorum omnino esse in puluerem solutam, cuius p. 112.

*) vid. comment. nostr. Vol. hoc p. 211.

contrarium in inſtructione data Anni 1765 aſſer-tum erat. Deinde deſcribit tuſſim, qua vituli, lue per inoculationem ſublata, inuehebantur, atque omnes moriebantur. Mortuos vitulos Noſter ſectione inquirens inuenit, millia vermium in trachea atque bronchiis cauſſam huius tuſſis eſſe. Vermes hi ſunt albi, vtraque extremitate acuminati atque vivipari, longitudine vnum vel duo pollices aequant. Probabile videtur Cl. Auctori a vitulis hos vermes cum aqua deglutitos fuiſſe: id quod nobis tamen vix probabile videtur, cum rima glottidis ſemper ſit clauſa, ſi haec animalia bibunt. Interim hic morbus quoad originem et medelam omnem meretur attentionem.

p. 119. 9. Cl. Prof. HACQVET *iter mineralogico-botanicum a monte Terglou in Carniolia ad montem Glokner in Tyrolia ſitum.* Montes hi omnes ſunt ex calcareo ſolido compoſiti, in quo nulla petrefactorum veſtigia apparent. Praetermittimus plantarum nomina, quas in his montibus inuenit, quibus nonnullae etiam nouae interſunt. Fluuius *Drau* ſ. Trap diuidit montes calcareos et ſchiſtoſos: hi orientem verſus poſiti ſunt et ex micaceo ſchiſto, qui ex quarzo et mica componitur, conſtant. In hac valle prope a *Stockenvoie* eſt fodina mercurialis, quae vero non colitur. In montibus altioribus ferrum atque ſal effoditur. In monte vicino Serpentinus et Aſbeſtus, quem in tetraëdris priſmatibus cryſtalliſatum inuenit, reperitur. Vberius deinde ipſos montes glaciales deſcribit, cryſtallos ſingulares, quas ibi inuenit, ferri et lapidis calaminaris fodinas, quae illic coluntur.

p. 203. IO. O. F. MÜLLERI *annotata de vermibus inteſtinalibus.* Quaedam tantum indicare licet. In *Eſoce lucio* magno nullos vermes inuenit, teſtimonio, quosdam etiam

etiam piſces a vermibus eſſe immunes. In *Anguilla* oua inuenit, in ouariis repoſita, erantque haec ouata, vtrinque parum acuminata. In *Pleuronectae Linguatula* nullos vermes, ſed *Spatagum* puſillum deglutitum obſeruauit. Cucullanum muticum et cirratum forte vnam eſſe ſpeciem putat. In *Lophio piſcatorio* Aſcarides marinas, et Echinorhynchos vidit.

11. I. C. F. MEYERI *continuatio experimentorum* p. 319.
cum ferro, quibus Auctoris ſententia, ferrum a Cl. PALLAS inuentum vere natiuum eſſe confirmatur, aliaque ferri naturam illuſtrantia commemorantur.

12. *Oeconomica hiſtoria naturalis piſcium, in flu-* p. 231.
uiis regni Boruſſici habitantium, Auctore M. E. BLOCH. Nimirum promittit Cl. Auctor, ſe illam editurum eſſe atque nos, dum haec ſcripſimus, addere poſſumus, priores faſciculos huius hiſtoriae naturalis iam editos iconibusque fidis et ſplendidis ornatos eſſe. His addit quaedam ad hiſtoriam Salmonis Maraenae *) et Cyprini, quem Gibelam nominat, ab aliis autem pro varietate Caraſſii habitus eſt. Subiungit anatomen *Cyclopteri Lumpi*, hiſtoriam Muraenae anguillae, Gadi Lotae, Percae fluuiatilis, Luciopercae, cernuae, Gaſteroſtei aculeati.

13. *Phalaenae Fimbriae* LINN. hiſtoriam nouis p. 297.
de metamorphoſi obſeruationibus illuſtrat I. A. B. BERGSTRAESSER. Larua eſt nuda, transverſim ſtriata, pertinet ad laruicidas, veſcitur tamen potiſſimum Matricaria Parthenio: quapropter Noſter eam dici mauult *Phalenam Noctuam Parthenii* alis deflexis, anticis griſeo fuſco viridique vndatis, binisque in diſco maculis, altera reniformi; poſticis aurantiis, faſcia nigra ſubmarginali et latiore.

*) vid. ſupra p. 210.

p. 301. 14. Obſeruationes entomologicae, Auctore FRANC. DE PAVLLA SCHRANK. Duo noua genera inſectorum hymenopterorum deſcribit, quorum alterum Coelogaſter (κοιλογαστηρ) a cauo abdomine dicitur, quod praeſertim aculeo arcuato et ſupra abdomen reflexo neque in apice, ſed in baſi abdominis ſubtus oriundo differt: alterum *Serphus* dictum cauda abdominali incurua diſtinguitur. Species deſcripta *brachypterus*, niger, tibiis, abdomine, aculeoque ſaturate teſtaceis; abdominis ſegmento primo maximo; alis thoracis longitudine anticis puncto marginali, appellatur. Vtriusque eſt icon addita. His ſubiungit deſcriptionem *Ichneumonis Curſoris*, atri, apteri, antennarum baſi, pedibus longis, petioli et ſegmenti primi apice teſtaceis, abdomine ſubpetiolato.

p. 310. 15. *Obſeruationes botanicae*, Auctore D. I. I. REICHARD. *Aceris ſaccharini*, in horto botanico SALZWEDELII, Pharmocopaei docti et celebris, prima vice florentis fructificationem enarrat, atque bona icone illuſtrat. Deinde *Salicis Babylonicae* florem femineum, et *Clauariam phacorhizam* ſimpliciſſimam, tenuiſſimam fuſcam; claua ſubulata, albida; radice lenticulari deſcriptione et icone delineauit, addiditque *Clutiam* pulchellam in vna arbore maſculos femineosque flores tuliſſe, ideo non ad dioeciam, ſed ad polygamiam LINN. pertinere credit.

p. 320. 16. *De petrificatis diſſerit* I. CHR. FVCHS. Addit quaedam ad petrificata, vt vult, Iaſpidea; alia que in Achatem, et denique etiam in Quarzum mutata. Haec ſunt, Entrochitae in Quarzum mutati, et alia conchylia, et corallia, quae quarzeam induerunt naturam.

17. Quae-

17. *Quaedam ad hiſtoriam vermium veſicularium adiicit* Cl. D. BLOCH. Hydatides ſic dictas melius vermes veſiculares dici putat: eorum tres ſpecies aſſumit, quarum prior *Eremita* dicitur, quam primus HARTMANNVS*), Germanus, deinde TYSONVS**) vt animalia deſcripſit: alteram dicit *taeniaeformem*, quae in Hepate Glirium et Veſpertilionum habitat, tertiam *ſocialem*, quae in ſubſtantia cerebri ouium ſedem ſuam fixit, atque haud ita pridem a Cl. LESKE detecta eſt et deſcripta ***). p. 321.

18. Hiſtoria morbi et ſectio a Cl KOELPIN: Vir viginti annorum variis ſymptomatibus, obſtructionem in meſenterio mentientibus, vexatus, omnibus incaſſum adhibitis medicaminibus tandem vigeſimo nono aetatis anno aſthmate moriebatur. Notatu digniſſimum e ſectione eſt hoc, quod in imo ventre ſaccus reperiretur hydatidibus refertus, quae omnino erant eaedem cum *Taenia hydatigena* Cl. PALLAS. p. 348.

19. *Breuiores relationes et excerpta ex litteris.* Cl. HERBERT, Medicus Surinamenſis experimenta exponit, quibus probatur, radicem *Caſſauae amarae ſ. Iatrophae Manihot* LINN. omnino eſſe venenatam, atque homines, canes felesque necare, ſi radicem euomere impedirentur, ſanari autem poſſe, ſi vomitu iterum radix eiicerentur: auibus autem, vti etiam vermibus inteſtinalibus ſuccum Caſſauae nihil p. 356.

*) Miſcell. Natur. curioſ. Dec. 2. ann. 4. obſ. 73. p. 152. f. 25-28.

**) vid. Philoſ. Tranſ. 1691. et in Verſ. Germanica; cui titulus *Abhandlungen zur Naturgeſchichte, Phyſik und Oekonomie aus den Philoſophiſchen Tranſactionen, vom 1ſten Band geſammlet.* Parte I. p. 110.

***) vid. ſupra, p. 291.

hil omnino nocere. Cl. D. KÜHN de pygmaeorum
p. 372. familia refert. Cl. CHEMNITZ demonſtrare conatur,
p. 382. Chalcedonium, igne Vulcanico eſſe productum. Cl. GOEZE in lepore grauida fetum extra vterum in abdomine conceptum inuenit, quem plane nullam cum vicinis partibus per placentam, neque per vaſa ſanguifera cohaeſionem habuiſſe affirmat; atque inde colligit huno fetum euolutione interna, vti pullum in ouo, incrementum cepiſſe: Quod quidem nobis parum videtur probabile: quin potius conſtat, orificia vaſorum exſudare humorem pro fetu nutritium, qui a vaſis placentae inſugatur ſic, vt nulla cohaeſio ſit neceſſaria. Cl. GE. FRID.
p. 385. GOETZ aquas ſulphureas in Comitatu Schumburgenſi ſcaturientes inueſtigat.

Vitae hiſtoriae ZÜCKERTI, GODOFREDI ADRIANI MÜLLER, et IO. DIETRICH DE ZANTHIER additae ſunt.

Vol. II, In altero Volumine continentur ſequentes tractatus:

p. 1. 1. *De ſtructura ſuperficiei lunaris, et de vulcanica origine eius inaequalitatum*, Auctore F. V. T. AEPINO. Cl. Auctor ex obſeruationibus demonſtrat ſummam eſſe ſimilitudinem inter inaequalitates ſuperficiei lunaris et montes vulcanicos telluris noſtrae, quoad formam et externam eorum ſuperficiem indeque probabile eſſe, etiam igne has inaequalitates eſſe productas, vnde Cl. Auctor exiſtimat ſe primum eſſe huius ſententiae Auctorem: etſi vero concedimus alium quendam Eidem non innotuiſſe, prius tamen eandem iam propoſuit theoriam Cl. WÜNSCH in libro, qui inſcribitur *koſmologiſche Unterhaltungen* Parte II. p. 530.

2. Con-

2. *Coniecturae de cauſſis varietatum in inſectis*, p. 41. Auctore I. F. W. HERBST. Coniicit Cl. Auctor, quamcunque varietatem inſectorum re ipſa iam in ouo praefuiſſe: quae quidem coniectura innititur theoremati de praeexiſtentia omnium partium in ouo ſ. theoriae euolutionis, quae autem, vt ſatis ſuperque demonſtratum eſt obſeruationibus nouiſſimis, cum ipſa non ſit probata, ſed ſumta: hanc coniecturam quoque minus probabilem eſſe ſequitur.

3. *Deſcriptio regionis circa vicum Slup in Moravia*, Auctore IO. MAYER, Med. Doct. et Conſil. Aul. Pragenſi. Regio montoſa, montibus ſtratoſis calcareis et argillaceis conſtat. In prioribus rara ſunt petrefacta, et veſtigia *Madreporae labyrinthiformis* et *Serpulae planorbis*. Ipſi montes ſunt cauernoſi, rimoſique: in cauernis reliquiae oſſium et maxima copia ſtalactitum reperitur. Has cauernas et quasdam illic creſcentes plantas Cl. Auctor vberius exponit. p. 56.

4. Cl. A. I. RETZIVS deſcribit *Craniam*. Nimirum inter Corallia ex India miſſa inuenit Prototypum petrefacti illius, quod Helmintholithus *Anomiae craniolaris* LINNEO dicitur, atque re curatius contemplata, vidit teſtam illius ab Anomia ita differre, vt ſub vno genere coniungi nequeant. Nouum igitur conſtituit Concharum genus, quod *Craniam* nominat, charactere hoc: *Teſta* biualuis, ſubinaequilatera, ſubinaequiualuis, orbiculata. *Cardo* edentulus. *Valuula inferior* callis tribus valuulae intruſis deciduis, quorum duo haemiſphaerici prope baſin vel intra marginem cardinalem: tertius maior ſubtriqueter in medio fere teſtae margine eleuato circumcinctus. *Valuula ſuperior* eminentiis duabus fixis infra cardinis marginem, quibus p. 66.

reſpondent calli in valuula inferiore. Tertio autem callo opponitur tantum inaequalis et profundior teſtae conuexitas inferne binis colliculis elevatis obliquis ſepta. Huius generis duas ſpecies cognoſcit Cl. Auctor, quarum prior *Crania Brattenburgenſis* paraſitica, teſta inaequiualui, inaequilatera, ſuperiore rugoſo inaequiualui, margine ſtriato; altera *C. Egnabergenſis* teſta libera, lentiformi, aequiualui, radiato-ſulcata, margine punctato. Prior eſt *Anomia Craniolaris* LINN. altera Numulus minor Brattenburgenſis, rariſſimus STOBAEI. Vtraque ſpecies icone eſt delineata.

p. 77. 5. *Praeliminariae obſeruationes de ſemine Sabadillae*, Auctore Cl. I. G. GLEDITSCH. Quum nondum detecta, nec deſcripta ſit planta, cui hoc ſemen debeatur, perperamque a CLVSIO aliisque ad hordeum referatur: ex diligentiori ipſius ſic dicti ſeminis, quod autem reuera mixtura eſt pericarpii cum ſeminibus, contemplatione Cl. Auctor cognovit, ſemina et pericarpia admodum ſimilia eſſe iis ex *Veratro nigro*, ideoque Noſtro probabile videtur, Sabadillam vel nouam eſſe Veratri ſpeciem, vel varietatem Veratri nigri. Praeterea etiam convenit ſapore, et viribus multum cum Veratro et affinibus plantis. Pertinet igitur Sabadilla ad medicamenta aeria, irritantia et cauſtica: eſtque omnino maxima cautione eadem vtendum: atque Cl. Auctor recte eandem e manibus ignorantium et audacium tironum ereptam cupit, neque niſi, a peritis et cautis medicis adhiberi vult, atque hoc etiam tantum ad externum vſum. Semina Sabadillae enim ſemper, ſi recentia et bonae notae ſunt, interne data inflammationes ſphacelumque concitant. In vncia ſeminis Sabadillae drachma extracti primi aquoſi ſ. mucilaginei continetur: affuſo ad vnciam ſeminis

nis Sabadillae ſpiritu vini rectificato obtinuit extracti reſinoſi drachmas duas: exiſtimat igitur Cl. Auctor penetrantem et acrem Sabadillae vim et in reſinoſo et in mucilagineo reſidere principio, maxime tamen in illo. Caeterum omnis haec tractatio cognita Cl. Auctoris facundia conſcripta et monitis medico-practicis ſaluberrimis referta eſt.

6. *Syſtemata entomologica ponderat atque inter ſe comparat* Cl. I. C. FABRICIVS. Duo tantum etiamnum dari ſyſtemata entomologica exiſtimat Cl. Auctor, Linnaeanum et ſuum Ipſius. Debitas tribuit LINNEO laudes, ſeque Illius adhortatione incitatum fuiſſe, vt nouum ſyſtema conderet, LINNEVMque ipſum menda ſyſtematis ſui ſenſiſſe, neque tamen, cum aliis maioribus laboribus obſitus fuerit, mutationem auſum fuiſſe. Virtutes ſyſtematis Linnaeani ſunt hae: 1) ordines facile et perſpicue cognoſci poſſunt: 2) iique ipſi, ſaltem nonnulli, naturalibus affines ſunt; e. g. ordo Coleopterorum, et Lepidopterorum, Hymenopterorum et Dipterorum. Sed genera, ordine a ſe diſtantia, continent Hemiptera. Neuroptera, tum praeſertim Aptera. 3) Characteres generici diſtincti, et 4) differentiae ſpecificae plurimae ſunt eximiae. Interim tamen et vitiis hoc ſyſtema laborat, quorſum pertinere putat Cl. Auctor, 1) LINNEVM genera Inſectorum ordinibus inſeruiſſe, quae characteri ordinis repugnarent, ideo, vt ordines naturales manerent; 2) characteres genericos non ab vna parte eſſe deſumtos, ideoque 3) hos characteres non ſatis eſſe definitos. Fabriciani ſyſtematis virtutes ſunt 1. firmitas ordinum, (Cl. Auctor perperam ſemper ordines cum claſſibus confundit) qui omnes a partibus oris, tum praeſertim a mandibula definiti ſunt; 2. firmitas characterum genericorum, p. 98.

qui

qui itidem a partibus cibariis deſumuntur; 3) multitudo characterum, quo plura genera condi potuerunt, quae facilius reddunt ſtudium entomologicum, indeque 4) enata genera magis naturalia, accedit 5) multitudo ſpecierum, tanquam accidens virtus. Interim quosdam etiam defectus ſuo ſyſtemati adhaerere fatetur Cl. Auctor, quibus medendi nullam adhuc cognoſcit rationem; nimirum 1. partium, a quibus characteres deſumuntur, minuties. Sed cum ipſa inſecta admodum ſaepe ſint parua, res mutari nequit: eadem etiam difficultas methodum botanicam Linneanam tangit, quae nihilominus reliquis omnibus praeſtat. 2. Quidam ordines nondum ſunt naturales, vt *Syniſtata* et *Vnogata*. 3. Characteres generici in ordine *Gloſſatorum* et *Ryngatorum* ipſi Auctori nondum ſufficiunt. 4) Differentias ſpecificas quarundam ſpecierum indicare nondum diſtincte ſatis datum eſt: neque 5. ſynonyma vbiuis omnino conuenientia adduci potuerunt. Interim Cl. Auctor ſatagit haec mendа ſubinde corrigere.

p. 116. 7. *Annotationes ad quasdam in prioribus Actorum Societatis contentas propoſitiones*, Auctore Cl. O. F. MÜLLER. Refutat primo b. WALCHII hypotheſin, qua teſtas conchyliorum regulari vaſculari contextu compoſitas eſſe et per intusſuſceptionem nutriri affirmatur. Atque nouis obſeruationibus confirmat, has teſtas per appoſitionem ab interiore parte teſtae, et exſudatione partium calcarearum ex pallio oriri. Sic quoque HACQVETI opinioni recte repugnat, qui Byſſos, Fungos, et Lichenes ad mineralia amandari voluit. Praeterimus alia.

p. 139. 8. *Miſcellanea mineralogica*, Auctore Cl. HACQVET. Rariora quaedam foſſilia deſcribit Cl. Auctor

ſtor, atque huc refertur 1. *Cos cryſtalliſata:* hoc nomine intelligit lapidem, qui in Gallia non procul a *Fontainebleau* inuenitur, qui, iuxta Noſtri experimenta, ex duabus partibus Quarzi, et vna parte Calcarei et aërei acidi conſtat, ideoque ad Cotem refertur. At enim vero, ſi conſideramus, in hoc lapide, non grana Quarzi ſabuloſa immixta, ſed potius lapidem calcareum ſolutum et aëre fixo vnitum, cauſſam cryſtalliſationis fuiſſe; neque arenam quarzoſam per ſe in cryſtallos coire poſſe, maiori iure et rectius hic lapis appellatur *Spatum calcareum cryſtalliſatum*, cui arena quarzoſa immixta eſt. 2. *Calcedonius cryſtalliſatus pyramidalis*, pyramide triedra, aut pentaëdra. Sed etiam de hoc lapide cryſtalliſato dubitamus vehementer; probabilius enim videtur Quarzi cryſtallos, quae ſaepe Calcedonio innaſcuntur, fuiſſe a Noſtro pro Calcedonio habitas. 3. *Cryſtalli Pſeudogalenae.* Componuntur, vt videtur, ex rhombo marginibus retuſis, aut ex priſmate tetraëdro, marginibus retuſis, planis quatuor mucronato, apice retuſo. 4. *Spatum Zinci cryſtalliſatum*, cryſtallis tabularibus, acuminatis. In Carinthiae fodinis montis a Plumbo nominati, reperiuntur. Eſtne re ipſa in his cryſtallis Zincum ſolutum, an adhaeret illud tantum lapidi cryſtalliſato? 5. Minera ferri (*Eiſenglanz*) cryſtalliſata ex Inſula Elba. 6. Ochra cupra *viridis*, cryſtallis minimis priſmaticis tetraëdris; et *coerulea* cryſtallis tabellaribus hexaëdris. 7. *Minera plumbi lutea* cryſtallis octaëdris; et tabellaribus rhombeis tetraëdris, marginibus acuminata. 8. *Galena cubica*, ſuperficie lineis concentricis ſtriata. Optaremus diſtinctiorem deſcribendi rationem fuiſſe a Cl. Auctore adhibitam.

9. *Cerui Damae hiſtoria naturalis oeconomica* ab p. 162. Ill. Comite A MELLIN.

10. *De*

p. 214. 10. *De volatu auium.* Auctore Cl. SILBERSCHLAG. Plura momenta Cl. Auctor docte et perſpicue explicat, multaque ad BORELLI theoremata addit. Internas aëris cauitates in oſſibus et ſaccis membranaceis pulmonum ideo datas eſſe auibus putat, vt ſic compreſſioni aëris externi facilius reſiſterent aues, neque circulus ſanguinis impediretur. Ad cognitionem auium attendi vult ad longitudinem breuitatemque alarum. Plura, quae de variis actionibus auium in volatu habet, ipſa legenda ſunt.

p. 221. 11. Cl. HERMANNI, Prof. Argentinenſis, *additamentum ad* MARTINI *tractatum de conchis biualibus, cardine multidentato.* Petrefactas duas deſcribit ſpecies, quas cum *Oſtrea Iſogono*, *Ephippio*, et *Perna*, peculiare genus, ſaltim ſingularem familiam conſtituere putat. Nominat primam *Oſtream mytiloidem*, teſta ſubaequiualui, ouata ventricoſa, recta; cardine multiſulcato: alteram *O. tortam*, teſta inaequiualui, intorta, cardine multiſulcato.

p. 277. 12. *Deſcriptio inſtrumenti ad dimenſiones aſtronomicas et geometricas percommodi*, Auctore Cl. ELLISSON. Multo cum ſtudio feliciterque eſt illud compoſitum, atque reliqua ante cognita multum antecellit: a nobis tamen hic deſcribi non poteſt, cum explicatione iconis additae egeat. Indicamus tantum quaedam ſphalmata typographica, quae Lectori difficultatem parere poſſunt. P. 278. lin. 4. loco V, legatur *u.* ib. lin. 15. loco *P* legatur *P.* Pag. 280. lin. 1. loco *M, N.* leg. *m, n.*

p. 285. 13. *Quaedam de Apum cultura*, Auctore Cl. SYBEL.

14. Cl.

14. Cl. PAVLLVS DE SCHRANK *nouam et accuratam deſcriptionem Salmonis Alpini* tradit. p. 297.

15. EIVSDEM *entomologicae obſeruationes.* Dubitat Cl. Auctor, quod Coelogaſter ſupra deſcriptus idem ſit inſectum cum *Leucopſi dorſigera* FABRICII, vt affirmat Cl. FUESSLY. *Cerambyx portitor*, thorace tranſuerſim oblongo, maculis duabus nitentibus, antennis longis; niger, elytris ex nigro rubeſcentibus, nouus eſt: atque *Elater Caſtaneus* in Cl. Auctoris enumeratione n. 237. ab *E. caſtaneo* LIN. diuerſus: quamobrem Noſtro prior nunc dicitur *E. virens*, thorace viridi, ſulco medio exarata, elytris flauis mucronatis, apice macula vireſcenti nigra, oblonga. Icon ignotae laruae Phalaenae geometrae et deſcriptio adduntur. p. 307. p. 312.

16. Cl. I. C. F. MEYER *obſeruationes de Fluore minerali.* His SCHEELII de peculiari Fluoris acido obſeruata confirmantur; expertusque eſt Cl. Auctor hoc acido terram ſiliceam ſolui, atque ſolutam in aquam recipientis trahi: ſi aqua deſit, vaporis forma tranſire. Coniicit exinde, Adamantis volatiliſationem his phaenomenis explicatum iri, hocque acidum forte eſſe partem Adamantis conſtitutiuam. Vaſa denique aurea his experimentis aptiſſima cenſet. p. 319.

17. EIVSDEM *tentamina cum detecta alba terra in ferro fuſo.* Propenſus eſt, vt eandem noui metalli terram habeat: nam ante tubum ferruminatorium facile funditur: in forma metallica difficulter ab acidis ſoluitur, atque a ferro ex ſolutionibus praecipitatur, neque color terrae albus in igne obſcurus redditur, ſed haec terra facile in igne funditur, atque eadem ex ſolutionibus ſola aqua praecipitatur. p. 334.

18. Cl.

p. 349. 18. Cl. L. F. HERMANNI, Professoris Viennensis, *relatio de ratione ferrum et chalybem parandi solita in officinis ferrariis Carinthiacis.*

p. 369. 19. Cl. PET. BODDAERT *tractatus de amphibiis. Nantes* ad Pisces referendos putat. *Serpentes* prius, tum *Reptiles* ponit, atque in his genera Gronouiana assumit. Sirenem reptilibus subiungit. Zootomicas vtiles, sed cognitas, obseruationes proponit.

p. 388. 20. *Relatio de cornu ramoso, in Rheno inuento, praegrandi*, Auctore FRIDERICO EBERH. DE ROCHOW. Ex magnitudine, tum etiam ex forma et structura coniicit Cl. Auctor esse hoc cornu animalis plane nunc exstirpati. Addit his quasdam de mutatione cornuum in Ceruorum genere obseruationes.

21. Breuis de vita a b. DE GULDENSTAEDT gesta relatio. Dolendum sane est, GULDENSTAEDTIVM, qui Ipse in morbo graui et pestilentiali multos alios liberauit, hoc ipso succubuisse.

XI.

Florae Scandinauiae Prodromus, enumerans plantas Sueciae, Lapponiae, Finnlandiae, Pomeraniae, Daniae, Noruegiae, Holsatiae, Islandiae et Groenlandiae. Auctore ANDREA IOANNE RETZIO, Phil. Mag. Prof. Reg. et Botan. Demonstr. Societ. Physiogr. Lund. Secret. Soc. Med. Hafn. Nat. Curios. Berol. et scient ac Eleg. Litt. Gothol. Membr. Soc. Oecon. Lipsi. Correspond. Holmiae, Typis Petri Hesselberg. 1779. plagg. 18. 12. 8.

Cum

Cum Florae Suecicae Linneanae exemplaria omnia diuendita essent, et si vel argento parabilis esset liber, tamen cum generibus plantarum LINNEI nimis pretiosus ac volumine incommodus tironibus foret: compendium vtriusque in hac Flora concinnare studuit Cl. Auctor, et pretio, et magnitudine commodum. Laudatis igitur LINNEI, summi viri, meritis atque actis Cl. GIÖRWELL, qui huius libri edendi promotor fuit, gratiis, instituti ratio haec in praefatione traditur. Etenim Sueciae Daniaeque regiones easdem fere generant plantas; in vna quoque sensim nouae deteguntur, quae in altera iam fuerunt obseruatae: vt Danis aeque ac Suecis vtilis fieret liber, omnes hactenus intra vtriusque regni limites detectas plantas hic collegit. Prodromi titulo ideo vsus est, quod maiorem floram propediem edere constituit, in qua singulae plantae ea, quam LINNAEVS in Mantissa altera, et Cl. POLLICH in historia plantarum Palatinatus adhibuerunt, methodo describerentur. Caeterum in hoc libro superflua euitauit Cl. Auctor synonyma; plerumque idoneam laudauit iconem; cuicunque classi praemisit characteres compendiosos generum primarios; ac cuicunque generi addidit characterem habitualem methodo Cl. GOVAN, ad species in hoc libro occurrentes applicatum, quod quidem tironibus inprimis vtile est; in claue generum species anomalas notauit, addito loco vero, quo facilius a tironibus inuenirentur; rarissime obseruationes addidit: plantas florae Danicae et Noruegicae ad veras reduxit species; signo + notauit plantas, nondum intra Sueciae fines lectas, durationes ac stationes vocibus abruptis, in praefatione explicatis, apposuit. Atque sic non solum iis, qui in Dania et Suecia botanicae operam dant, vtile enchiridion, sed et botanicis exteris ac-

ceptum hunc prodromum fore ſperat Noſter, cum huius ope facile GVNNERI flora Noruegica et vndecim florae Danicae faſciculis vti poſſint.

His de libri ratione in genere praemiſſis, quae-
p. 14. dam Auctoris obſeruationes ſubiungamus. *Agroſtis pumila* Syſt. Nat. ed. 13. p. 96. mera eſt *vſtilago*
p. 15. *go* A. ſtoloniferae, obſeruante Cl. EHRHART. *Aira aquatica* in ſiccis variat floribus 5-6 in calyce,
p. 16. tuncque ſimillima *Poae*, an huius, varietas? *Melica vniflora*, *M. nutantis* varietas non eſt, licet ſimillima. *Bromus nanus* WEIGEL obſ. p. 8. t. 1. f. 9. in ſiccis
p. 18. vulgatiſſimus, *B. molli* propior, quam *B. hordeaceo*,
p. 21. nec diſtincta ſpecies. An igitur *Br. mollis* a *hordeaceo* vere diſtinctus? *Montia fontana* variat ſtylis duobus, ſtaminibus quinque, calice triphyllo.
p. 27. Quaerit Noſter: vtrum *Plantago dubia* ab *albicante* diverſa, an *lanceolatae* tantum varietas? Folia *lanceo-*
p. 28. *latae* trineruia gerit, ſpicam *Pl. mediae*. In *Aphane aruenſi* cum Cl. POLLICH neque calicem octofidum, neque ſemina duo obſeruauit. *Salſola Tragus* Cl. Auctori mera videtur *S. kali* varietas. *Swertiam ſulcatam*, quae eſt *Gentiana Islandica* Flor. Dan. 343. et *Swertia rotata* GVNN. Fl. Noru. 1077. quam etiam LINNEVS pro *Sw. rotata* habet, ab hac ſeparat: eſt enim a *Sibirica* GMELINI Flor. Sib. Tom IV. p. 112. tab. 53. f. 1. omnino diſtincta. *Sw. ſulcata* enim corollas habet campanulatas quinquefidas, calices corolla breuiores, nectaria 10 piloſa tubi, et minor eſt; *Sw. rotata* autem corollas rotatas planas, quinquepartitas, calyces corolla longiores, nectariorum loco 4 foliola pericarpii vel
p. 60. germinis. *Anthericum calyculatum* differt a reliquis congeneribus, perianthio minuto, campanulato, tridentato; piſtillis tribus, capſulis tribus, diſtinctis

ſtis: atque hae differentiae characterem noui generis dant. *Scheuchzeriae* ideo illud aſſociauit Cl. SCOPOLI, ſed ab ea differt perianthio et capſulis minime inflatis. *Melanthio* propius accedit. Si *Narthecii* nomen non placet, ſuadet Cl. Auctor, vt haec planta *Weigelia* dicatur, atque ſic memoria meritorum Cl. WEIGELII conſecretur. Niſi diſtincta omnino ſit ſpecies *Anthericum* Hiſt. Stirp. Helv. 1205. *A. Pſeudoaſphodelus* IACQV. enum. ſtirp. Vind. p. 59. et *Scheuchzeria Pſeudoaſphodelus* SCOP. carn. ed. II. 445. ſane notata videtur Cl. Auctori varietas. Planta Suecica Noruegica et Sibirica corollam candidam, ſcapumque rarius monophyllum profert, Auſtriaca vero et Heluetica corollam flauo viridem et ſcapum 3-4-phyllum. Forſan igitur in pluribus diſtinctae.

Ledum Groenlandicum, foliis ellypticis, ſtaminibus corolla brevioribus Flor. Dan. 567. Ill. LINNEVS in Syſt. nat. ed XIII. ad *Rhododendron Dauricum* amandauit, a quo tamen plane eſt diuerſum, quod ex comparatione *Chamaerhododendri*, folio glabro, AMMANNI *Stirp. Ruthen.* p. 181. t. 27. cum icone Oederiana patet. *Ledum* hoc adeo habitum *Groenlandici* retinet, vt non dubitet Noſter, quin huius ſit generis: Gemmatio, infloreſcentia, foliatio eadem. p. 77.

In *Thalictro minori* folia ſexpartita nondum vidit Cl. Auctor, ſed conſtanter triloba. Dubitat ideo, num figura *Flor. Dan.* 244. huc pertineat, an ad *Th. ſimplex*, quum flores in vtroque cernui. p. 104.

Glecoma hederacea primo vere plerumque maſculinis floribus deſtituitur. Tabulam 225. Fl. Dan. non *Pedicularem ſyluaticam*, ſed *P. paluſtrem* ſiſtere, ſine criſta calicis, quae variatio non rara. p. 112. p. 117.

Cardaminem hirſutam, in qua ſtamina 4, 5, 6, numerauit Cl. POLLICH, vix a varietate hirſuta *C. amarae* differre, p. 125.

differre, ad quam posteriorem icon Fl. D. 148, minus tamen bona, pertineat.

p. 150. Tab. 501. *Fl. Dan.* nomen quidem *Leontodontis autumnalis* gerit, sed sistit potius *Crepidem tectorum*, ad quam quoque iconem LINNEVS retulit. In

p. 156. *Gnaphalio Alpino* flores femineos tantum vidit LINNEVS, duplicis generis pingit OEDERVS Fl. Dan. 332. androgynos plures obseruauit HALLERVS, omnes hermaphroditos pronunciauit SCOPOLI.

p. 178. Quid ergo statuendum? *Caricem intermediam* spiculis androgynis sessilibus, inferioribus remotioribus, bracteae longitudine totius spicae, capsulis subdiuaricatis, apice bifidis, quae est *Carex* HALL. st. helv. 1365. differre dicit a *C. vulpina* spica strictiore, folio longitudine totius spicae instructa, a *C. muricata*, quod longe maior, robustior, spiculis pluribus maturis nigris, capsulis vix diuaricatis, apice

p. 179. quidem pungentibus, bifidis tamen. *Carex* Fl. D. 371. distincta species Nostro videtur, quam ab OEDERO nominat, spicis subquaternis sessilibus, capsulis globosis acutis. Sed synonyma l. c. allata non huc pertinent. Est *C. flauae* proxima, caespitose crescit, omnia sunt in eadem minora, spicula mascula etiam sessilis. Spica infima bracteam habet paruam, capsulae minime recuruae.

Praeterimus plures obseruationes, quibus dubia Auctorum nomina, iconum vitia, et varietates indicantur. Sufficiat his botanicos ad librum multi et egregii laboris excitasse. Index generum libro est subiunctus.

XII.

EIVSDEM fasciculus observationum botanicarum primus. cum figuris aeneis. Lipsiae, apud Siegfried Lebrecht Crusium. 1779. fol. plagg. 10. tabb. aen. 2. viuis coloribus ornatae.

Laudatissimi Auctoris opera et studium in augenda botanica etiam ex hoc egregio libro patet cuique, atque plausum omnino meretur omnem id, quod singulis plantis obseruandis diligentiusque describendis plantarum cognitionem certiorem reddat. Tradit autem in hoc fasciculo obseruationes, institutas tam circa plantas in horto cultas, tam plantas post editiones vtrasque Florae Suecicae, Faunaeque et denique post catalogum Auctoris, actis Holm. Acad. 1769 insertum, detectas. Atque recte quidem in praefatione monet, necesse esse, vt vegetabilia in diuersis locis describantur, cum ex omnibus vnius plantae varietatibus collatis demum certus plantae character erui possit. Reprehendit deinde merito etiam cupidinem quorundam, innouandi terminos artis, et nomina plantarum, quae non possit non esse noxia incremento scientiae.

Ipsae obseruationes, quarum plures etiam mox indicato Florae Scanicae prodromo insertae sunt, circa plantas CXXII sunt institutae, e quibus sequentes exempli loco commemoremus. Loco *Sii nodiflori*, quod intra Sueciam non obseruauit Cl. Auctor, locum in Flora Suecica *Sium angustifolium* occupare debet: quod posterius HALLERVS pro S. nodifloro habuit. Est vero eiusdem caulis diffusus, brachiatus, 2-4 pedalis; foliolum impar trilobum, reliqua foliola saepe vtrinque profunde auriculata, vt triloba dici mereantur. Inuolucra et inuolucella lanceolata, serraturae foliorum argutae, p. 16.

inaequales cum auriculis faciem dant plantae omni-
p. 16. no ſingularem. In *Tropaeolo minori* ſtylos tres, inferiore parte connatos, vt ſtylus trifidus dici poſſit, nec tamen aequaliter fiſſus, ſtigmata depreſſo
p. 17. plana, rarius ſtamen nonum caſtratum obſeruauit. *Pyrolas* Suecanas ſtigmate diſſimili inſtrui vidit. *Rotundifoliae* eſt incraſſatum, quinquedentatum, dentibus erectis acutis: huic ſimile eſt *vniflorae*, niſi quod maius ſit et peltatum, vt coroniforme appellari poſſit: *minoris* eſt peltatum, conuexum quinquelobum, vt et *ſecundae*, ſed hoc poris ſimul quinque pertuſum: *vmbellatae* ſubſeſſile eſt, magnum, orbiculatum, in medio excauatum. *Saxifragae autumnalis* ſynonymiam corrigit, vt et circa alias Saxifragas obſeruationes lectu dignas habet.

p. 23. *De Ononide aruenſi*, ad quam *O. ſpinoſa* et *mitis* a LINNEO et HALLERO referuntur, haec experimenta inſtituit: *mitem* in hortum transtulit anno 1773, ibique laete creuit et quotannis floruit, etiam 1776 mitis ac inermis. Semina *ſpinoſae* ſata, primo iam anno praebuerunt plantas ſpinis armatas et propriam faciem ſeruantes. *Medicago ob-*
p. 23. *ſcura*, pedunculis racemoſis, leguminibus reniformibus integerrimis, caule diffuſo hirto, *tab. I.* de-
p. 25. lineata, noua planta eſt. Septem varietates *Medi-*
p. 27. *caginis polymorphae* deſcribit egregie. In *Conyza anthelmintica* deeſſe femineas corollas, ideoque po-
p. 29. tius *Serratulae* ſpeciem eſſe obſeruauit. *Tab. 2.* delineatur *Tuſſilago ſpuria*, foliis triangulari-cordatis, denticulatis, lobis ſinuatis: thyrſo faſtigiato, floſculis femineis ſubpetaloideis plurimis, quae in
p. 30. *Scania* eſt a Noſtro inuenta. *Cinerariam Alpinam* dicit plantam polymorpham, cuius character vel emendandus eſt, vel varietates in plures dirimendae ſunt
p. 31. ſpecies: dubia Cl. Auctor exponit. *Veratro Sabadillae* tribuitur, racemus ſpicatus ſimplex, floribus ſecundis ſubnutantibus, pedunculatis, nigro purpureis.

Appen-

Appendicis loco *Sophoras* foliis ſimplicibus deſcribit, quae omnes circa Caput Bonae Spei creſcunt: quatuor ſpecies poſſidet Noſter, quae diſtinctae videntur, licet character *Sophorae biflorae* LINN. omnibus quadantenus competit. 1. *Sophora buxifolia*, foliis ſimplicibus oualibus, ſupra glabris, ſubtus ſericeis, pedunculis vnifloris, calycibus baſi intruſis, tomentoſis, coloratis. 2. *S. myrtillifolia*, foliis ſimplicibus obouatis, vtrinque ſericeis, pedunculis vnifloris, calicibus baſi intruſis, tomentoſis: huic *S. biflorum* LINN. ſubmittit. 3. *S. biflora*, foliis ſimplicibus, ouatis, ſubtomentoſis; pedunculis bifloris, calicibus baſi intruſis, tomentoſis coloratis. 4. *S. calyptrata* foliis ſimplicibus ſubouatis pubeſcentibus, pedunculis vnifloris; calicibus tomentoſis, florum calyptra decidua. Calyptratam etſi hanc vocauit, monet tamen, quod geniculum pedunculorum, omnibus his quatuor ſpeciebus commune, ſuſpicionem moueat, cunctas calyptra inſtrui, licet eam in hac ſola Noſter obſeruauit. Reliquas obſeruationes, deſcriptiones et correctiones ſynonymorum praeſertim in ipſo libro legere neceſſe eſt. p. 35. p. 36. p. 37.

XIII.

Index Linneanus in LEONHARDI PLVKENETII opera botanica, olim in priuatos vſus conſcriptus, nunc vero in aliorum etiam commodum editus. Acceſſere variae in vitam et opera PLVKENETII obſeruationes partim ex ipſius MSto, Auctore PAVLO DIETERICO GISEKE, M. D. Phyſ. et Poet. Prof. in Gymnaſio Hamburgenſi. Index Linneanus in IOANNIS IACOBI DILLENII Hiſtoriam muſcorum, ob ſimilem vſum additus eſt Auctore

EODEM. Proſtat Hamburgi apud Auctorem, et Car. Ern. Bohn commiſſum 1779. 4. mai. pagg. 39.

Acceptum ſperamus omnibus, e quorum re eſt, vt PLVKENETII operibus vtantur, hunc multo cum ſtudio confectum indicem. Praefationis loco breuis de vita Plukenetiana relatio datur. Eſt LEONH. PLVKENET natus a. 1642, Medicus, ſed illuſtrior Botanica, quam Therapia. Ex nominis gentilitii varia ſcriptione, vt et ex eiusdem interpretatione dum *Ericam* a ſe dictam appellet: *Ericam flore plus quam eleganti* ſ. *plus que net* ſuſpicatur Noſter eum e Gallia oriundum fuiſſe. Hortum coluit Londini Ipſe, aditusque Ipſi patuit ad hortum Hamptonienſem tunc ſatis celebrem, Regnardſoni aliosque. Plurimum valuit horto ſicco, quem 8000 plantas comprehendere ſcripſit, quarum Catalogus *Onomaſticon* ſ. Almageſtum eſt. PETIVERO primum amicus, deinde alienus fuit. RAIO in ordinando T. II. hiſtoriae plantarum opem tulit. Ingenio fuit ſummo in definiendis plantis, atque putat Noſter, Ipſum prope ad LINNEVM acceſſiſſe felicitate nominum, ſi fructificationis principium tunc ita, ac hoc tempore, notum fuiſſet. LINNEVS enim cum PLVKENETIO ex Philoſophia deſumſit, quae in critica botanica profert. Sed haec de definitione ſpecierum tantum valent: genera enim ab externa quadam ſimilitudine dicebantur. Interdum tamen et eiusmodi occurrunt loca, ex quibus apparet, Ipſum perſpexiſſe, fructificationem ad condenda genera adhibendam eſſe. Multum contra Eum eſt dictum: paſſim conqueſtus eſt de inuidia, et defectu praemiorum laboribus ſuis debitorum. Neque tamen ceſſauit, ſed ex eo, quod ſibi elegerat, ſymbolo: *aliis inſeruiendo conſumor*, egit. Ita arſit in conquirendis ſculpendisque

que plantis, vt nullus. Periculum obtinendi Euergetae feciſſe videtur, dum Phytographiae ſuae Partes III. Proceribus dedicaret: ſed partem IV. nemini inſcripſit. Spe itaque tum excidiſſe Noſtrum, docet illud titulo ſubiectum: *cui nil niſi praemia deſunt.* Attamen in fine operis obtinuit adiutores, vt in *Amalthei* praefatione profitetur. Quo vſque vixerit, non conſtat: ſed non diu poſt annum 1705 ſuperſtitem fuiſſe, inde ſibi perſuadet Cl. GISEKE, quod Tomus operis, eo anno editus, omnino MStis notis careat, quibus priores abundant.

Iam opera PLVKENETII recenſentur, quorum Noſtro obtigit ipſum id ſpecimen adquirere, quo Auctor vſus eſt ad corrigenda nomina et addendas obſeruationes poſt editum opus naſcentes. Defendit poſtea tabulas plantarum, a PLVKENETIO datas, contra obiectiones, et rationem huius indicis dat. Index igitur indicat eas plantas, quas LINNEVS ex PLVKENETIO in ſyſtemate ſuo ipſe commemorauit; paucas Cl. Auctor adiecit: hunc indicem ſequitur catalogus figurarum, bis in PLVKENETIO occurrentium, alterutra plerumque meliore: dein citationes falſae duplices, denique eae, ad quas figurae a LINNEO memorantur, ſed quae vel omnino non exſtant in editione prima, vel ſphalmate allegantur. Excipiunt haec, quae ſola hactenus inedita, additamenta MSta PLVKENETII ad Tabulas, quae ſynonymiam ſpectent.

In indice Linneano ad DILLENII hiſtoriam muſcorum et WEISSII *Cryptogamiam Gottingenſem* et WEBERI *Florae Gottingenſis ſupplementum* perſcrutatus eſt, easque addidit figuras, quas hi Viri Cll. extricarunt.

Atque quum eiusmodi indices botanicis, praeſertim iis, qui ipſos hos libros iconographicos poſſident, vtiles ſint, ſi ipſa illa menda, quae paſſim in LINNAEI ſcriptis extabant, nunc tamen in nouiſſima,

a REICHARDO curata editione egregie correcta ſunt, diligenter vitantur et emendantur: alios ſimilis generis indices, quos promittit Cl. GISEKE, proxime exſpectamus.

XIV.

Icones plantarum, pictae, ſculptae et editae a IOANNE MILLERO, Londini 1780. Faſc. I. plag. 1. tabb. aen. VII. fol. maximo.

Communicauit nobiſcum Celeb. FORSTERVS has ſplendidas et maxima cum induſtria factas icones, viuis coloribus illuſtratas. Floris partes ſeorſim naturali et aucta magnitudine ſunt propoſitae: e quibus omnibus maiorem in modum illuſtrata eſt harum plantarum hiſtoria.

Tab. I. *Sophora tetraptera*, ex noua Zelandia. Specioſa planta, ſingularis leguminibus articulatis.

— II. *Phormium tenax* FORSTERI, quo incolae nouae Zeelandiae inſtar Lini vtuntur.

— III. *Stewartia Malacodendron* LINN.

— IV. *Fothergillia latifolia.*

— V. VI. *Heliconia Bihai.* LINN. ſed eſt Muſa, vt ex icone demonſtratur.

— *Lagerſtrömia indica* LIN. formoſiſſima corolla praedita eſt, petalis longe pedicellatis, limbo ſinuato criſpoque, purpureis. Singularia ſunt ſtamina 6 maiora, filamentis arcuatis; 32 minora.

Optaremus quidem, vt his nominibus et iconum explicationi additae eſſent obſeruationes botanicae, circa incrementum et alia harum plantarum attributa. Forte autem haec in continuatione harum iconum ſequentur.

XV.

XV.

Icones animalium plantarumque, pictas, sculptasque edidit IOANNES FRIDERICVS MILLER. Londini 1776-80. plagg. V. tab. aen. 30. fol. maximo.

Eadem cura et sollertia, eximioque splendore exaratae sunt hae icones, quarum communicationem etiam Cl. FORSTERO gratissimi debemus. Sunt vero iisdem delineatae:

Tab. I. *Loxia oryx* LINN. Mantiss. 537. visa a nobis viua, colore minus coccineo magisque bruno praedita erat, quod tamen non vitium iconis, sed colorem pennarum in hac aue mutabilem indicat.

Antholyza cunonia LINN.

T. II. *Loxia coronata*, noua: capite coccineo cristato, corpore supra caudaque nigris, subtus cinerea, pedibus incarnatis.

Alstroemeria Lixta LINN. elegans planta, petalis tribus coccineis, tribus albis apice coccineis.

T. III. *Loxia longicauda*, noua: similis fere *Emberizae paradisaeae* LIN. at differt charactere generico; corpore toto caudaque nigris; rectricibus non setosis, remigibus brunis, tectricibus albis, humeris coccineis.

Gnaphalium eximium LINN. Mant. 573.

T. IV. *Psittacus atricapillus*, nouus: brachyurus pileo rostroque nigris, nucha ceruiceque pallide rubris, corpore alisque viridibus, remigibus coeruleis, gula lutea, ventre albo, ventre crissoque flauis, cauda subtus rubro cinerea.

Chelone penstemon LINN. stamen quintum non castratum, sed anthera flaua reliquis duplo

duplo maiore praeditum eſt: reliquae antherae ſunt violaceae.

T. V. *Pſittacus aurantius*, nouus; macrourus flauus, luteo mixtus, roſtro nigro, remigibus coeruleis, rectricibus viridibus apice coeruleſcentibus.

Illicium floridanum LINN. Mant. 167. Fructus eſt *Aniſum ſtellatum* officinarum.

Tab. VI. *Vpupa promerops*. Sed ipſe Auctor dubius eſt. Auis ſupra fuſca, ſubtus albo cinerea, criſſo viridi inſtructa eſt.

Eryngium Alpinum LINN.

T. VII. *Barringtonia ſpecioſa* FORST. noua genera p. 75. Habitat in India Orientali et inſulis maris pacifici. — Specioſiſſima fere omnium planta.

T. VIII. *Ampelis Carolinenſis*. Nobis nihil, niſi varietas *Ampelidis garrulae* LINN. videtur.

Amaryllis criſpa, noua: foliis lineari lanceolatis, ſcapo vmbellifero, corollis purpureis, petalis criſpis.

T. IX. *Antholyza Aethiopica*, LINN. Spec. pl. edit. nou. REICHARDI p. 103.

T. X. *Ceruus Alces* LINN. optima omnium, quam vidimus, huius animalis icon.

T. XI. *Lacerta Chamaeleon* LINN. varietates duae altera viridis, altera fuſca, vti quoque lingua apice fiſſa ad captandam praedam extenſa ſigillatim depictae ſunt.

T. XII. *Larus albus*, totus albiſſimus, roſtro, praeter apicem luteum, pedibusque coeruleſcentibus: habitat in regionibus Septentrionalibus.

T. XIII. *Lemur murinus*, et gradiens et dormiens depictus eſt. Nouum eſt animal, cuius icon etiam in SCHREBERI opere mammalium iconographico deeſt. Corpore toto cinereo, orbitis

bitis caudaque brunis inſtruitur. Habitat in Madagaſcar.

Tab. XIV. *Struthio Caſuarius:* carunculae capitis aliter, quam in icone D'AUBENTONI depinguntur.

T. XV. *Muſcicapa ſtriata;* fig. A. *mas* ſupra brunnus, rachi pennarum nigra, tectricibus alarum ventreque albis, vropygio temporibusque coeruleis, fronte coccineo; fig. B. *femina*, pileo nigro, temporibus albis, ſupra brunna, nigro tranſuerſim faſciata. Gula in vtroque ſexu lutea: habitat ad fretum Hudſonis fig. C. *Ampelis criſtata*, pileo criſtato vropygioque coeruleis, dorſo humeris, pectoreque ſanguineis, gula lutea, temporibus abdomineque albis, remigibus rectricibusque brunnis: habitat in America.

T. XVI. *Columba coronata*, tota violaceo coerulea; ſpeculo alarum albo, orbita atra, iride crocea: habitat in Capite Bonae Spei.

T. XVII. *Falco Plancus*, fuſcus nigro tranſuerſim vndulatus, cera orbitaque croceis, pedibus luteis, abdomine remigibus rectricumque apice nigris, remigibus ſecundariis, rectricibusque vltra dimidium albis, cinereo tranſuerſim faſciatis. Habitat in Tierra del Fuego.

T. XVIII. *Falco fuſcus*, fuſcus nigro maculatus faſciatusque roſtro coeruleo, cera cinerea, pedibus luteis. Habitat in Groenlandia.

Tab. XIX. *Canis Hyaena*, LINN. et *C. Lycaon* SCHREBERI.

T. XX. *Viuerra tetradactyla.* eadem cum Viuerra Suricatta SCHREB.

T. XXI. fig. A. *Parus Hudſonicus.* Orbitis, iugulo, remigibus rectricibusque atris, roſtro pedibusque nigris, pileo femoribusque flauo fuſcis,

ſcis, corpore ſupra fuſco viridi, genis corporeque ſubtus flaueſcenti albis:

fig. B. *Fringilla Hudſonica*, atra tota, ventre rectricibusque tribus extimis albis exceptis.

fig. C. *Emberiza leucophrys*, vireſcens, pileo nigro, praeter vittam longitudinalem dentatam faſciamque occipitalem tranſuerſam albas, alis caudaque brunis. Habitant omnes in America Septentrionali.

T. XXII. *Platalea leucorodia* LINN. Habitat in Europa, nidificat in arboribus.

T. XXIII. *Aptenodytes Patagonica* FORSTERI *).

T. XXIV. f. A. *Cuculus Indicator* SPARMANNI **).

f. B. *Fringilla cyanocapilla*, pileo coeruleo, faſcia occipitali coccinea, gula pectoreque luteis, collo ſupra, interſcapulio, humerisque flauo brunnis, remigibus rectricibusque atris, vropygio coeruleo, criſſo cinereo. Habitat in Senegal.

T. XXV. *Brusea antidyſenterica.* nouum genus, pertinet ad Dioeciam tetrandriam. Calix 4fidus, corolla 8fida, antherae didymae, feminae ſtigma membranaceum. Habitat in Africa.

Tab. XXVI. *Teſtudo ſulcata;* ſolo teſtae colore differt a *Teſtudine graeca* LIN.

Tab. XXVII. *Homo Lar* LIN. ſ. Simia longimana: egregia, prioribus multo melior icon.

Tab. XXVIII. *Falco ſerpentarius* habitat in Cap. B. Spei.

Tab. XXIX. *Pſittacus Guineenſis*, pileo, collo, caudaeque apice coccineis, humeris tectricibusque viridibus, remigibus coeruleis, pectore flauo,

*) vid. EIVSD. *Reiſe.* v. ſupra p. 225.

**) vid. Philoſ. Tranſact. 1777. f. 9. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 581.

flauo, abdomine criſſo caudaque ſubtus albis. Habitat in Guinea.

T. XXX. fig. A. *Trochilus gularis*, viridis, gula rubra, remigibus nigris, cauda coerulea.

f. B. *Fringilla torquata*, capite coccineo, orbitis albis, torque in iugulo nigro, remigibus caudaque nigris, apice remigum coeruleo alboque vropygio cineraſcente coeruleo, ventre cinereo. Vtraque auis habitat in India Orientali.

f. C. *Motacilla gularis*, roſtro, gula, rectricibus pedibus caudaque nigris, corpore ſupra rufo, pectore vropygio luteis, ventre albo. Habitat in America meridionali.

XVI.

Mémoire ſur des nouvelles criſtalliſations de Feldſpath & autres ſingularités renfermées dans les Granites des environs de Baveno, par HERMENEGILDE PINI, Profeſſeur d'Hiſtoire Naturelle à Milan. à Milan chez Joſeph Marelli 1779. plagg. 4. in 8. tabb. aen. 2.

i. e.

Commentarius ſuper nouis Spati ſcintillantis cryſtallis, aliisque in Granite circa Baueno contentis lapidibus, Auctore HERMENEGILDO PINI.

Acceptae fuerunt nobis Cl. Auctoris obſeruationes, neque dubitamus, quin aliis mineralogis etiam lectu ſcituque dignae videri debeant. Conſtat enim, praeter rhomboidales Spati ſcintillantis cryſtallos non alias in Mineralogorum libris fuiſſe deſcriptas: nouae igitur ſunt formae, quas Cl. Auctor

ctor in Granite inuenit, quarum prima eſt prismatica tetraëdra, ſecunda priſmatica hexaëdra, tertia priſmatica octaëdra, quarta polyedra, et quinta oualis. Etſi autem nos laudamus trium priorum ſpecierum varietates plusquam triginta, quoad ſummitatis diuerſitatem, diligenter deſcriptas: minus tamen placent poſteriores duae ſpecies; earum enim altera potius agregatum duarum cryſtallorum, atque altera externa vi mutata eſſe videtur. Varietatum qui vberiorem deſcriptionem et icones deſiderat, is ipſum libellum adeat neceſſe eſt.

At praeter has cryſtallorum deſcriptiones alia etiam, non leuioris momenti propoſuit Cl. Auctor. Montes enim granitici, a Baueno vſque ad Feraolo extenſi Granite conſtant, in quo ſpatum ſcintillans rubrum eſt; atque inde vſque ad montem *Montorfano* dictum Spato ſcintillante albo pollent: atque hic Granites aëris aquarumque iniuriis diu reſiſtit, vt pluribus vſibus aptiſſimus ſit. Nulla ſtrata regularia, ſed rimas et fiſſuras inordinatas, atque inde ſeparata ſaxa maximae molis vidit: quae ſi diſiiciantur ſaxa, cavernae offerunt cryſtallos Quarzi, Spati ſcintillantis, Schoerli, et Fluoris mineralis, quod praeſertim eſt notatu dignum, quum alibi nondum in Granite ſit Fluor mineralis repertus. Singularis eſt Cl. Auctoris opinio Spatum ſcintillans eſſe ex Quarzo et Fluore minerali compoſitum: etenim, vt alia taceamus, illius dehiſcentia in Argillam facile probat, eundem potius ex Quarzo et terra aluminari conſtare, quam poſteriorem etiam offerunt experimenta chemica. Spatum ſcintillans rude ſ. amorphum in igne diſquiſitum, neque ſcintillas, neque ſtrepitum edidit: vtrumque phaenomenon autem in ſpato ſcintillante cryſtalliſato obſeruauit: quam diuerſitatem maiori acidi cuiusdam copiae in cryſtallis tribuit. Denique de origine

origine horum montium Graniticorum differens, eosdem ad primigenios esse referendos ex obseruatis docet. Caeterum addimus doctum hunc librum etiam iam in linguam vernaculam esse translatum *).

XVII.

Dissertatio chemica inaug. de Resina Elastica Caiennensi, quam ex auctoritate Magn. Rect. AL. PET. NAHVYS, pro gr. Doct. submittit ARN. IVLIAANS. Traiect. ad Rhen. 1780. 8 mai. pagg. 74.

Cl. Auctor huius dissertationis, comparatis Asiae cum Americae diuitiis, hanc illa esse non inferiorem demonstrat ita, vt possit haberi aliquanto ditior: exemplo Sacchari, Coffeae, Nicotianae, Theobromae cacao, Conuoluuli Ialappae, Tamarindi, Cassiae Fistulae, Ligni Quassiae, Corticis Simaroubae, aliorumque innumerorum, in quibus recensendis ad septimam vsque versatur paginam.

Non possumus autem non laudare Cl. Auctoris diligentiam, qua ex Cl. AVBLET **) aliisque praestantissimis materiae medicae scriptoribus, CRANZIO, VOGE-

*) Est nimirum libro subiunctus, cui titulus: *Mineralogische Beobachtungen über die Eisengrube bey Rio und andern Gegenden der Insel Elba von* ERMENEGILDO PINI. *Aus dem Italienischen übersetzt, und mit den neuern Bemerkungen Herrn* KOESTLIN *u. a. vermehrt, nebst einer Abhandlung von besondern Kristallgestalten des Feldspath herausgegeben von* IOHANN FRIEDRICH GMELIN. *Halle. bey I. I. Gebauer.* 1780.

**) v. Histoires des plantes de la Guiane Françoise rangées suivant la methode sexuelle par Mr. FVSEE AVBLET. à Paris 1774. 4. IV. Vol. av. fig.

VOGELIO, LINNEO, RVTTY, attulit ignotam arboris, de qua detrahitur Cortex Simaroubae deſcriptionem; quam etſi dedit iam MARCHAIS*) minus perfecta tamen eſt, neque botanica et qualem fere truncus eiusque cortex **) ſuppeditabat, ideoque nos continere non potuimus, quin hic inſereremus Aubletianam illam, maxime quum pretioſiſſimum eſſe noſtrisque in regionibus rariſſimum hunc librum haberemus perſpectum. Eſt autem talis.

Maſculi Flores.

Cal. *Perianthium* monophyllum, quinquedentatum, denticulis acutis ſubrotundis.

Cor. *Petala* quinque, albicantia, lanceolata, calici inſerta ad ambitum diſci.

Stam. *Filamenta* decem, corollae longitudine, diſco inſerta infra germen. *Antherae* oblongae, incumbentes, biloculares. *Squamulae* decem, ſubrotundae, villoſae, baſi filamentorum interiori adnatae.

Piſt. *Germen* ſterile, ſubrotundum, depreſſum, quinqueſtriatum, ſquamulis filamentorum tectum. *Stylus* nullus, *ſtigma* nullum.

Flores Feminei.

Cal. *Cor.* vt in maſculo.

Stam. Nulla. *Squamulae* decem, villoſae, germen ambientes.

Piſt. *Germina* quinque, coadnata, diſco carnoſo orbiculato inſidentia. *Stylus* carnoſus, quinqueſtriatus, *ſtigmata* quinque patentia.

Per.

*) v. Voyage en Guinée, Isles voiſines & à Cayenne, par l'année 1725 et ſuivans par M. le Chevalier MARCHAIS, *publié par le P.* LABAT. Amſtd. 1731. 8. 4 Voll.

**) vid. omnino IO. FR. CRELLII diſſ. de cortice Simaroubae. Helmſtd. 1746. 4. p. 13. ſeq.

Per. *Capſulae* V. ſubcarnoſae, nigrae, ovatae, laterales, diſtantes, receptaculo carnoſo orbiculato inſertae, vniloculares.

Sem. ouatum, teſta fragili incluſum.

Simarouba Amara. *Euonymus* fructu nigro, tetragono, vulgo ſimarouba.

Barrel. Franc. aeq.

Arbor trunco ſexaginta pedali ad ſummitatem vſque ramoſo; ramis longis late et vndique ſparſis; ramulis folioſis. Folia alterna, pinnata: foliolis vtrinque binis, quatuor vſque ad nouem, ouatis, acutis, glabris, rigidis, integerrimis, ſubſeſſilibus, vtrinque alternatim coſtae cylindraceae in acumen longum deſinenti adnexae. Flores in amplas paniculas diſpoſiti axillares et terminales. Ramis, ramuſculis et pedunculis florum ad baſin ſquamulis munitis, flores hermaphroditi.

Floret menſe Nouembri et Decembri, fructum fert maturum Martio et Aprili. Cortex trunci et radicum inciſus lacteum et amarum ſuccum effundit: lignum leue, album, amareſcit.

Patet igitur arborem hanc, quam AVBLETIVS ad Monoeciam Decandriam et LINNEVS, ad Hexandriam Monogyniam refert, minime eſſe e genere *Burſeriae.*

Sed ad propoſitum accedamus. Quae de origine, hiſtoria et obtinendae Reſinae Elaſticae methodis capite I. tradit Cl. Auctor, mittamus, vt quae ab aliis, CONDAMINE, MACQVER, BOMARE, SCHREBERO, ACHARD, et reliquis, eodem modo referantur. Manebimus ſolum in arboris deſcriptione, quam addidit ex eodem Cl. AVBLET. Hic etſi non vidit florem, tamen non dubitat eam ad Monoeciam Dodecandriam LINNEI referre, quod tri-

buit Noſter BERN. DE JVSSIEU: et ſic delineo nomine *Heveae Guianenſis*.

Arbor truncо ſexaginta pedali, ad ſummitatem vſque ramoſo, ramis longis, nudis, ſparſis; tamulis folioſis et fructiferis. *Folia* alterna, denſe poſita, ternata. *Foliolis* ouatis, acutis, ſuperne glabris, inaequerrimis, inferne cinereis ſubſeſſilibus, ad apicem longi petioli annexis. *Fructus* ſpicati, terminales. *Pericarpium. Capſula* glabra, oblonga, trigona, apice acuto, triſulcata, trilocularis, ſingulis loculis biualuibus, valuulis craſſis lignoſis extrorſum elaſtice dehiſcentibus. *Semina* II. III. quandoque vnum, ouata teſta cinereo ferruginea tenui, fragili tecta, introrſum valuularum angulo affixa. Nucleus albis et dulcis. Fructum fert Aprili et Martio.

Habitat in Syluis Guianae et in variis Americae meridionalis partibus. Nomen Caribaeum *Hhèvé, Hèvé, Ièvé, Kaothove, Cahuchu, Caoutchou*. Luſitanis. *Pao de Xininga*. Gallis. *Bois de Siringa*.

Habemus itaque duas iam arboris huius deſcriptiones, ſed in charactere claſſis et generico incompletas, vtramque flore carentem, priorem illam DU FRESNEAV, quam prauam nuncupat AVBLET.

Capite ſecundo continetur examen reſinae elaſticae. Extenſilitas ac elaſticitas Reſinae Cajennenſis ſumma eſt, quarum vt aliquam menſuram naturam definiret, dedit iam operam Cl. ACHARD, cuius experimenta reperiuntur in opuſc. phyſ. chemicis *). Eadem repetiit copioſius Cl. Auctor, quorum ſummam recenſebimus.

Fruc-

*) FR. CAR. ACHARD *Chymiſch-phyſiſche Schriften*. *Berl.* 1780. 8. p. 211—226. et in *Beſchäftigungen der Berl. Geſellſch. naturforſch. Freunde*. Berlin. 1777. 8. Tom. III. pag. 356. etc.

Fruſtulum Reſinae aequalis craſſitiei formae parallelepipedae firmauit inter duos aſſerculos ope cochlearum, ſitu perpendiculari direxit, atque hamulo cochleae inferioris pondera ſequenti euentu appoſuit.

A. Primi parallelepipedi pondus erat XXIX granorum. Longitudo 1 vnc. pollic. 7. dec. (vſus eſt Auctor menſura Anglica, in qua ſingulae vnciae pollicares conſtant decem lineis). Latitudo 0 vnc. poll. 4 dec. Craſſities 0 vnc. p. 1 dec. Pondus totius apparatus, inter quem inferius continebatur reſina, vnc. 4. dr. 5. gr. 10. Longitudo inter aſſerculos (hanc enim eſſe ſolam computandam recte monet Cl. Auctor) 1. vnc. poll. 1. dec. Hoc igitur parallelepipedum extendebatur.

	u.	p.	dec.		
per ℔i ciuil. ad 1.	6.	ergo incrementum		0.	5.
— ℔ij. — — 2.	0.	—	—	0.	9.
— ℔iij. — — 3.	2.	—	—	2.	1.
Rumpitur ad 3.	3.	—	—	2.	2.

i. e. duplum longitudinis ſuae.

Reliqua experimenta ſimiliter proſequutus eſt.

B. Parallelepipedum cuius pondus XXXIX. gran. Longitudo 1. u. p. 3. dec. Latitudo. ou. p. 7. dec. craſſities ou. p. 1. dec. Longitudo inter aſſerculos ou. p. 9dec. ruptum eſt ad extremum inferius per iij $\frac{11}{16}$ ℔ extenſum ad 3 u. p. 5. dec. incrementa capit 2. u. p. 6. dec. i. e. 2 $\frac{8}{9}$ longitudinis ſuae.

C. Parallelepipedum tertium pondere granor. LXXXV. cuius long. inter aſſerculos erat 1. u. poll. 4. dec. craſſities 0. 2. ruptum eſt per libras viij. extenſum ad 6-0. increm. capit 4-6. i. e. 3 $\frac{1}{2}$ longit. ſuae.

D. Quartum pondere CXLVI gran. cuius longit. int. aſſerc. 2-0. craſſit. 0-1$\frac{1}{2}$, ruptum eſt ad

extremum inferius per libras 10. extensum ad $\frac{3}{4}$ incremento fuere 6-4. i. e. $3\frac{1}{3}$. longit. suae.

Per haec autem experimenta altitudo Mercurii in Thermometro erat 72°.

Sequitur Dissertationis Caput III. continens examen Resinae elasticae ad aërem, aquam et ignem. Primus sed infaustus tentauit hanc resinam dissolvere variosque in vsus aptam reddere DE LA CONDAMINE. Post hunc FRESNEAU solutionem obtinuit per Oleum Nucum, sed abesse ab ea omnem elasticitatem intellexit. Tandem MACQUER et HERISSANT inuenerunt optimam, licet pretiosam, per Naphtham Vitrioli solutionem. Recte tamen monet Cl. Auctor, post illos neminem nisi Cl. ACHARD instituisse de hac re experimenta, eaque repetiit Noster, quorum capita tantum trademus.

In aëre temperato retinet omnino extensilitatem suam et elasticitatem; secus in frigido, vbi fragilis redditur. In aqua non soluitur, quod constat ex Cl. MACQUER experimentis. Inuenit autem Cl. Auctor Experimento II. frustulum resinae, quod aqua calida per sex horas ebulliret, parum emollitum, colore griseo donatum, et aliquantum crassitie auctum. Exp. III. Ad flammam candelae cito ignem rapuit. Exp. IV. Exposita in crucibulo igni fortis resinae portio intumuit, et mutata est in massam nigram, balsamoidem, odoris empyreumatici, quae vero nec aqua, nec alcali fixo, at spiritu vini rectificato maximam partem solui potuit; cum spiritu nitri fumante aestuat, nec tamen, quemadmodum Cl. ACHARD vidit, flammam emisit, ne reiterato quidem experimento. Fiebat inde solutio pellucida ex rubro fusca, quae 1) per aquam destillatam turbabatur et puluerem flauum deponebat, 2) spiritu vini rectificato diluebatur, 3) cum Ol. Tart. p. deliqu. et spiritu sal. Ammon.

Ammon. efferuescebat. Exp. V. quod Cl. ACHARD *) iam instituit, neque tamen vero, vt recte demonstrat Cl. Auctor, sufficientem adhibuit resinae quantitatem, vnde et ipsi non satis constitit. Destillauit itaque Cl. Auctor vncias 7. Res. Elast. in Balneo Arenae et obtinuit leni igne drach. dimidiam liquoris pellucidi subflauescentis, resina adhuc immutata: igne adaucto haec liquefieri coepit, emittere vapores, atque protrudere oleum pellucidum rufescens forma guttarum, quae ignis vi protracta, per tres horas destillabant: tandem igne, quantum poterat, intensissimo, redditae sunt olei spissioris opaci dr. 10. cum quo transierunt spiritus tenuioris pellucidi subflauescentis drach. 5. cum dimidia. Restabant in retorta Capit. Mort. dr. ij. Ergo proportio productorum ea fuit, vt acquireret phlegmatis subalcalini dr. sem., Olei tenuioris vnc. iij et dr. iiij., spir. alcal. volatilis paulo fortioris scr. ij., Olei spissioris vnc. 1. et dr. ij., sp. alc. volat. minus fortis dr. 5. cum dimidia, Carbonis dr. ij. Quae coniunctim exhibent pondus vnc. 5. cum dimidia, dr. ij. cum dim., et scrupuli dimidii. Perditi igitur scrupuli quatuor. Olea vero ex Ref. elast. destillata, tenuius alterum, alterum crassius, continere oleum essentiale iuxta ac pingue probauit Auctor diligentissimus Exp. VI—X. quae a pag. 34. explicantur. Miscuit nimirum vtrumque cum sp. vin. rectif., sp. sal. ammoniacalis, oleo vitrioli rect., sp. nitr. fumificato, et sp. salis acido, et tenuius inflammari, dissiparique, solui spissius obseruauit.

In Capite Dissertationis IV. resinam elasticam menstruis variis perquisiuit Cl. Auctor: et primo quidem *Menstruis acidis*. Exp. XI. Affusa resinae elast. drachma vna, olei vitriol. rectificati vncia vna statim color acidi mutatus est, resina intumuit et a d. Iul. 26. ad 3. Aug. omne oleum vitrioli absumtum est:

*) l. c. *Zweyter Versuch.*

hinc rursus affudit vnciam, et d. 13. eiusd. mensis vidit itidem a fruſtulis reſinae fuiſſe abſorptum. Iterauit affuſionem vnciae j. et ſtatim oleum affuſum tinctum apparuit rufo colore. Separauit deinde dimidium, et ſuper ignem, quod de reſina reſtitit, liquefecit. Solutio per ignem turbabatur per aqu. deſtillatam, per ſp. vini, oleum Tartari, ſpiritum ſal. amm. cum ſale Tartari paratum, eſt fere ſemper puluis niger aut griſeus praecipitatus. Solutio ſine igne turbabatur quidem per aqu. deſtillatam, per ſpir. vin. rect., per ol. Tart. p. del., per ſpir. ſal. amm. cum ſale Tart. et calc. paratum, ſed plerumque puluis purpuraſcens aut albidus depoſitus eſt. Exp. XII. Reſina non fuit ſoluta per oleum vitriol. dilutum, ſed tantum arroſa: vſque dum abierat in aura humidum ſuperfluum, et acidum eodem gradu ſuorat concentratum. Exp. XIII. Addidit fruſtulorel. elaſt. dr. 2. ſpiritus nitri fum. vnciam j, quo ſtatim per copioſiſſimos ruberrimosque vapores diſſipatum et acidum, vt vix dr. 1 et ſem. liquidi coloris intenſe flaui ſupereſſent. Obtinuit praeter liquidum boreſinam eroſam, duriſſimam et cruſta ſalina quaſi obductam. Reliqua conſpirant cum experimento Cl. ACHARD decimo tertio ita tamen, vt magis amplificata ſint et vlterius expenſa. Sic ex ſolutione ſaturatiſſima per 30 dies in vitro clauſo ſepoſita, obtinuit cryſtallos minutas figura rhomboidea. Experimentum XIV. differt a Cl. ACHARD exp. XII. Cl. Auctor miſcuit cum Reſ. el. dr. j. Aquae fortis (venalis) vnc. 1 et ſem. Stetit mixtio ab an. 1779. d. Iul. 26. ad an. 1780. d. 8. Apr. et leni colore tincta eſt aqua fortis, reſina vero indurata. Sed poſtquam ignis admotus eſt, diuturnioris digeſtionis ope ſequuta eſt ſolutio flaua pellucida. Eodem modo acquiſiuit ſolutionem reſinae in ſpir. Nitr. fum. triplo aquae diluto *), quae

*) Non obtinuit Cl. ACHARD ſolutionem, forte ob coctu-

quae quidem ſolutio ita ſeſe habet: Per ſp. vin. et aquam deſtill. diluitur: per Oleum Tart. p. del., ſpiritum ſal. amm. cum calc. et ſal. Tart. paratum et ſpir. ſal. marini turbatur. Experimentum XV. ab acido ſalis deſumtum eſt. Reſinae portio dr. j. coniuncta c. ſpir. ſal. mar. vnc. j. nullo modo in frigore, parum in digeſtione calida ſoluta eſt, neque mutatus ſpiritus color. Solutio quanta quanta eſt, diluitur affuſa et aqua pura lacteſcit. Per ſpirit. vin. rectif. et ſp. nit. fum. diluitur nec turbatur: eius colorem autem mutat in rubrum alcali fixum et volatile, nec non ſp. ſal. amm. c. calc. paratus. Exp. XVI. Aqua Regia frigide non ſoluit, per ignem erodit reſinam, et poſt longinquam digeſtionem tandem aliquid ſoluit. Exp. XVII. Reſtitit omnino aceto deſtillato, quin concentratiſſ. Weſtendorfiano, nec ſoluta eſt reſina, vixque color niſi per concentratiſſimum obfuſcatus. Menſtrua alcalina ſic ſe geſſerunt: Per alcalia fixa Exp. XVIII—XXI. Oleum Tart. p. del. Liquorem alcalinum phlogiſticum, Liquorem ſilicum, Lixiuium ſaponariorum non potuit efficere Reſinae ſolutionem, neque licet per 7 menſes ſteterit mixtio, neque protracta coctione. Reſina tamen indurata eſt, et colorem induit variegatum: Alcalia quoque volatilia, vt Exp. XXII. XXIII. ſp. ſal. amm. c. ſal. Tart. paratus et ſp. C. C. rect. cum reſina cocti nullam effecerunt mutationem. Exp. XXIV. ſp. ſal. amm. c. calce paratus fuſco tinctus eſt colore, eleuauit parumper reſinam, et lamellatam reddidit, ſine vlla tamen ſolutione. *Menſtrua ſaponacea*, vti Exp. XXV. XXVI. Solutionem ſaponis Veneti et mel Maſſilienſe itidem expertus eſt alia quaeuis quam reſinam elaſt. ſoluere, idque etiam de *Menſtruis ſalinis* comperiit. Miſcuit enim Exp. XXVII. fere omnia ſalia praecipua, ſal mirabile GLAVBERI, Marinum, Ammonia-

 cum

cocturam, quam adhibuit, aut ſpiritus Nitri ab eo differentiam, quo vſus eſt diſſertationis huius Auctor.

quorum agmen cum resina, nec aliud euenit, nisi coloris in griseum mutatio et nonnunquam frigoris eleuatio. Idem euentus Exp. XXVIII. Etenim spiritus MINDERERI non nisi colorem griseum produxit. Eodem modo se habuerunt *Menstrua spirituosa*. Nam Exp. XXIX. Alcohol vini cum resina ebulliens, parum illam mutauit, nedum vt soluere valuisset, quod idem in *Machina Papiniana* perspexit Cl. MACQVER. Experimenta XXX. XXII. docent, non liquorem anodyn. HOFFMANNI mineral. aut sp. sal. dulcem, non sp. nitr. dulc. potuisse resinae quicquam mutare, licet ipsi spiritus induerint plerumque rubicundum colorem.

Transit Cl. Auctor p. 48. ad celebrem illam a Cl. MACQVER excogitatam resinae elasticae per Naphtham vitriol. rectificat. solutionem, et primo quidem necessario esse bis destillandam docet, priusquam quis obtineret aetherem rectificatissimum. Aetherem enim prioris destillationis, quae fit ex Balneo arenae, parum efficacem experimento compertum est Cl. Auctor. Per hunc igitur aetherem rectificatissimum facta est Exper. XXXII. post paucas horas solutio alba, opaca, mucilaginosa. Experimentum XXXIII. cum Cl. ACHARDI exper. XXII. conuenit. Aether Nitri vel longo temporis spatio parum resinae tantum soluit, idque igne intenso. Solutio spissa, turbida, coloris aurantii per aqu. destill. resinam sub forma muci flaui demittit, absque omni elasticitatis vestigio. Aetherem Aceti non adhibuit Cl. Auctor, quem plane fere ineffícacem reperit Cl. ACHARD.

Progreditur ad *Menstrua oleosa*. Solui primus docuit in Oleo nucum FRESNEAU, sed plura alia pinguia aeque ac essentialia hac pollere facultate ex Cl. ACHARD, nec non Nostri experimentis elucet.

cum, Polychreſtum, Sedatiuum HOMBERGI et relielucet. Ac primo quidem in oleis preſſis conueniunt. Adhibuit Cl. Auctor Exp. XXXIV – XXXVIII. Oleum oliuarum, Oleum amygd. dulc. Ol. papav. Ol lini, Ol. ouorum paene eodem cum ſucceſſu, neque haec quidem niſi per ignem diſſoluunt reſinam, praeter Oleum lini et papauer. Inuenit enim per digeſtionem ſolui reſinam, quod iis minime tribuit ACHARD. Addit praeterea ille *) Oleum Guaiaci, quod ope digeſtionis reſinae ſatis magnam diſſoluit copiam. Contra Cl. Auctor Exper. XXXIX in oleo Ricini periclitatus eſt, nec illud valere quicquam reſciuit.

Nunc vero ad olea ſtillatitia ſ. eſſentialia tendit. De Oleis Foeniculi, Cerae, Cardamomi, Camphorae, Caiapout, Succini, Animali DIPPELII, Exper. XLI. XLIII. XLIV. XLV. XLVIII. idem expertus eſt ac Cl. ACHARD. Paullo aliter de oleo Terebinthinae, quod ille plane etiam ſine digeſtione ſoluere pronunciat reſinam; contra Cl. Auctor Exper. XL difficillime, tam venale, quam a ſe ipſo praeparatum, ſoluiſſe monet, nec niſi per diuturnam digeſtionem. Contrarium in Oleo Aniſi cognouit. Hoc enim Exp. XLII. ope ignis ſolui reſinam vidit. Contra Cl. ACHARD penitus illud inefficax nominat. Idem addidit experimenta cum oleo Chamo- p. 52. p. 61.
millae, Angelicae, Myrrhae, Rorismarini, Nucis moſchatae, Cumini, quae optime diſſoluunt reſinam, et quorum mentionem ibi iniecit Cl. Auctor, repetendorum autem non nactus eſt occaſionem.

Sed idem inſtituit alia, atque Exp. XLVI. Petroleum et Naphtham foſſilem parum reſinae ſolvere reſciuit. Experim. XLIX. idem eſt cum VII. Cl. ACHARD. Exp. L. die 1 Sept. 1779. poſtquam ex Camphora cum aqua forti parauerat olei vnc. ij. addidit huius vnciam vnam reſinae el. dr. ſemis.

Die

*) vid. *chym. phyſ. Schriften.* p. 225.

Die 2. eiusd. mens. oleum flauo colore tinctum. Camphora partim praeceps datur, partim eleuatur. D. 10. ej. color exaltatus est: camphorae distractio pergit. D. 13. itidem. D. 17. eiusd. mensis auolauit omnis camphora: relicta resina solida, friabili, flaua. Sed vnc. j. ol. Camph. cum resinae gr. XV. igni expositа statim liquefacta est, et reliquit massam antecedenti similem, postquam ignis continuatur. Exp. LI. Per Terebinthinam Venetam cum affuso oleo Tereb. purissimo resina fuit soluta, terebinthinam coctam referens, coloris fusci. Exp. LII. Miscuit vnc. sem. Balsami copaiuae, c. dr. j. resinae elast. Absorptus fuit Balsamus: nec mixtio nisi igne subigenda. Inde solutio tenax, purpurascens. Alia portio frigide stetit per menses 10. nec soluta est. Exp. LII. Miscuit vnc. sem. Balsami Houpae*) cum dr. j. res. elast. quae igni admota soluitur. Solutio fusca, opaca, spissa. Exp. LIV. Per axung. Viperar. dr. ij. c. scr. j. res. elast. mixtam digestionis ope acquisiuit solutionem fuscam, butyri gaudentem consistentia. Exp. LV. LVI. Per aqu. calc. viuae et solutionem Hepatis sulphuris cum resina coctas nihil sequitur mutationis. Tandem Experimento LVII. Resinae elast. dr. j. miscuit cum vrinae vnc. ij. nulla per quinquaginta dies facta commutatione: dein igni adhibuit, sed non potuit impetrare per mensem et vltra solutionem, quae etiam post integrum annum frustra fuit exspectata.

Hisce et similibus experimentis studuit patefacere resinae illius mirabilis elasticae Cayennensis naturam

*) Hunc minus esse cognitum recte monet Cl. Auctor. Describitur sic ab eo. Odorem habet Balsami copaivae simillimum, sed fluidiorem. Prouenit incisionis ope ex arbore in colonia Surinamensi Houpa dicta. Vtilissimus in doloribus rheumaticis a frigida causa oriundis.

naturam Cl. Auctor, eoque officio perfunctus conuertitur ad Caput VI. vbi varia de methodo p. 62. praeparandi inſtrumenta chirurgica ex reſina Cayennenſi tradit, atque rationem reddit, cur ſtatim ab origine in vſus chirurgicos ceſſerit haec reſina, propter ſummam ſcilicet extendendi ſeſe facultatem, acrimoniisque reſiſtendi. Dein pergit ad ea, quae requiruntur, vt poſſit in talem vſum vocari, vt vel adhibeatur menſtruum, quod reſinam ſatis emolliat, quo poſſit manu tractari: cui ſcopo inſeruiret forſitan Oleum anim. DIPPELII, vel habeatur menſtruum, quod penitus ſoluat. Perquiſiuit poſtea ſolutionem per Naphtham vitrioli ſ. Aetherem Froberianum, et illam ad conficienda inſtrumenta chirurgica minus eſſe idoneam eo demonſtrat, quod forſan nemo vnquam ex reſina tali modo ſoluta fecerit catheterem. Sed excidit ipſi ſine dubio, quae Celeb. THEDE, chirurgus regius, ante hos annos quatuor ea de re ſcripto euulgauerit *), vbi et feciſſe ſe ex reſina elaſtica per naphtham vitrioli rectificatam ſoluta catheteres teſtatur, et vnicuique exhibiturum eſſe pro 6. thaleris vnum, quatuor autem diuerſae magnitudinis, inſtar optimi apparatus, pro 15. thal. pollicetur. Ne quid autem temere dixiſſet Cl. Auctor, affert GOBELSII exemplum, dexterrimi apud Amſtelodamenſes artificis, qui licet promiſerit dudum, nunquam perfecerit tamen eiusmodi inſtrumenta.

Deinde methodum Cl. ACHARD cum oleis eſſentialibus, v. g. Foeniculi, Cumini, cet. ſoluendae reſinae, eiusque vſus fieri laudat quidem, vt chemicam theoreticam praeſtantiſſimam, ſed non reſpon-

*) In libro cui titulus: *Sendſchreiben an den Hr. Prof.* RICHTER, *in Göttingen, die neuerfundenen Catheter aus der* Reſina Elaſtica *betreffend. Berlin.* 1777. 8.

reſpondere euentum hisce conaminibus declarat. Experim. LVIII. Soluit reſinam elaſt. in oleo Foeniculi, et cum ſp. vini rect. forma muci deiect. Iſte per 5 menſes aëri expoſitus non ſiccatus eſt, ſed viſcidus remanſit. Exp. LIX. Simili ſolutioni addidit ſp. ſal. ammon. c. calc. par. oritur lacteſcentia, et reſina forma guttarum apparuit. Exp. LX. Reſinam elaſt. c. ol. Foen. ſuper ignem emolliuit, poſtam in mortario ſubegit, oleum per ſp. vin. rect. fundum petiit, ſupra clibanum ſepoſuit, ſed poſtea viſcidum adhuc offendit. Exp. LXI. Similiter affecta eſt reſina, ſub affuſo ſpir. ſal. am. c. c. p. Exper. LXII. Reſinam hoc modo ſubactam coxit cum aqua ſpir. vini rectif., ſpir. ſalis amm. c. c. par., cumque Liquore anod. min. HOFFMANNI, et reſtare, oleo diſſipato, viſcidam inuenit. Exp. LXIII. Eandem maſſam frigori expoſitam nullo modo deprehendit conſiſtentem, tenacem ac elaſticam eſſe factam. Ex his igitur apparere ait Cl. Auctor, quantum ab exercenda differat alicuius rei excogitatio. Interim tamen chemicorum excitat induſtriam, laetaturque, nonnullos iam operam huic rei dediſſe: BVCHOLZIVM nempe ſolutioni *), et TROJAM faſciis nonnullis chirurgicis exinde parandis **). Immo, quod multo praeſtat, Cl. BERNARD. ex reſina hac feciſſe et exhibuiſſe Academicis Pariſinis catheterem flexilem, illumque fuiſſe comprobatum perhibet. Sic accepiſſe quoque ait, dexterrimum GESSCHERVM, itidem in Noſodochio Sanct. Petr. Amſtelodamenſi adhibuiſſe catheterem: vnde eo ſe abiiſſe, ſed a GESSCHERO nec impetrare, nec ipſum catheterem videre potuiſſe, quo ſcripto ſuo metho-

*) vid. Nordhollandſche courant van 30. Juny 1779. et Erfurt gel. Zeit y. I. 1779. 52. ſt. p. 425. ſqq.

**) vid. Genees- Natuur en Huyshoudkundige Iaarboecken. Erſte Deel Derde ſtuck.

methodum parandae reſinae tradidiſſet, expectandum eſſe igitur, vſque ipſis de laboribus ſuis publice referre placuerit.

Ad extremum Cl. Auctor faſcias et perizomata perquam commode ex circulis ampliſſimis ampullularum, quarum copia ex America fieret, confici poſſe docet. Atque his quidem finem impoſuit diſſertationi, quam non ſine iucunditate perlegimus. Ex corollariis haec transferamus. 1) non conuenire nomen reſinae, multo minus Gummi, optime dici ſuccum Heveae inſpiſſatum. 2) differre etiam a ceteris reſinoſis corporibus, principiis conſtitutiuis. 3) miras eſſe ſucci Heveae cum ſpiritu nitri fumante per Exp. XIII. XIV. mutationes: maxime quum cryſtallos emittat, id quod in Gummi Arabico itidem ex eodem acido eueniat. 4.) Coloris mutationem, quam nonnulli patiantur liquores, cum hoc ſucco mixti, videri attribuendam eſſe fuligini huic ſucco inter exſiccandum ſeſe inſinuanti.

Reliqua facile ſequuntur ex ipſa conaminum narratione. Nec magis deſcribere viſum eſt, quae ab Auctore in addendis Cl. THOREY, Pharmacopolae Hamburgenſis, de reſina Chinenſi elaſtica enumerantur. Quippe quae excerpta ſunt ex libro ſatis noto, qui inſcribitur: *Chemiſches Journal für die Freunde der Naturlehre* etc. *von D.* LOR. CRELL. *zweyter Theil. Lemgo* 1779. 8. *pag.* 107—112.

XVIII.

XVIII.

Syſtema aegritudinum conditum per noſologiam, pathologiam tam generalem, quam ſpecialem et ſymptomatologiam aetiologiae ſuperſtructas a CHRISTIANO FRIDERICO DANIEL Lipſ. ſumtu Adam Frid. Boehmii. 1781. 8. pagg. 365. praeter praefationem et indicem.

Totam medicinam niti congruis et fideliter conquiſitis aegritudinum characteribus idoneaque earumdem ordinatione teſtantur ſummi omnis aetatis medici. Id quod Noſter ex HIPPOCRATE aliisque monſtrat in praemiſſa praefatione, qua docet, quo modo aegritudinum ſyſtema ſit condendum et quid vtilitatis habeat in phyſiologia, ſemiotice, prognoſtica, materia medica, therapia cet.

Igitur ad ſyſtema aegritudinum ſtabiliendum, natura ſanitatis et aegritudinis eſt ſcrutanda, aegritudinesque probe diſtinguendae ſunt in morbos, paſſiones, ſymptomata. In his definiendis vtendum eſt obſeruationibus fide dignis et ab omnibus erroribus in nominando morbo et methodo medendi incongrua adhibita, vbi facile aegritudo corrumpitur, immunibus, quibus rariores caſus quoque addi debent. Porro ad aegritudinum characteres in praxi vtiles eruendos et earum dignitatem atque affinitatem rite ſtatuendam, remedia, quae iuuabant et laedebant aegritudines, neceſſario aeſtimanda ſunt. Chirurgia etiam hic negligi nequit. Negligi vero debet in adumbrando aegritudinum ſyſtemate, adeo vaga, quam plerique ſtabiliunt, aetiologia, quum raro verae cauſae cognoſcantur. Quare via incedendum eſſe arbitratur Noſter, qua vtilitas magis, quam cauſarum ſcrutinium ſpondet, obti-

obtineri poſſit. Conſulendi potiſſimum ſunt ſcriptores, qui naturam aegritudinum in epidemiis, in noſocomiis rite conſtitutis bene perſcrutati ſunt.

Sic ortam aegritudinum doctrinam ita in ſyſtema eſſe redigendam Cl. DANIEL ratur, vt naturam omnium aegritudinum facile poſſit perſpicere tiro ad praxin accedens obuiam agnoſcere GALENI et CELSI veſtigia premens, medendi methodum facile inuenire et prognoſin etiam certam dare, dum morbum magis ſpectat, quam paſſiones et ſymptomata, et periculum non a functionibus ſolum laeſis, ſed per energiae naturae ad morbum relationem aeſtimat, ipſe etiam poſſit aegritudinum ſyſtema certius reddere, dum, quae obſeruauit, memoriae mandat et publici iuris facit, ea vel comprobent characterem, vel hunc meliorem, certiorem, reddant, Hic tradidit aegritudinum ſyſtema Cl. DANIEL, cui, ſi probetur illud viris doctis, addet alterum ſyſtematis tomum, comprehendentem pathologiae ſpecialis reliquam partem, nimirum praeter paſſiones morborum, qui ſuperſunt, aegritudines aetatis et ſexus, traumaticas et ſymptomatologiam. Quod ſi vero alter tomus non prodiret, hoc ſyſtema aegritudinum vt vtilitate non careret, ſtuduit Noſter. Quare et indicem addidit, vt facilius nomina, interdum forte minus nota, eorumque locum inuenirent Lectores. Haec ſufficiant per inſtituti noſtri rationem breuiter ex praefatione excerpta. Iam de quibusdam ſingulis exempli loco videamus.

Syſtema aegritudinum exponit earumdem *affi-* p. 1.
nitatem, ſeu ſub certa determinatione ſpectatarum conuenientiam. Comprehendit autem ſub *aegritudinum* voce id omne, quod GALENVS ſub ea olim, in ſenſu latiori vſurpata, intelligi poſſe, ratus eſt: ſym-

ptoma, inquiens, eſt quidquid praeter naturam animali accidit ita, vt praeter *morbos* horum etiam *cauſas*, *epigenimata*, *paſſiones*, *affectus*, *ſymptomata* ſtrictius dicta, colligeret, quibus Cl. DANIEL periodum, typum, criſes, ſolutiones, quantum e re eſſe viſum eſt, addidit. Dein ad eſſentiam morbi progreditur, quaeque habet de ea GALENVS, perſequitur.

p. 4. Morbi natura conſiſtit in oeconomiae corporis humani a ſtatu naturali alienatione, tollente virium aequilibrium, ſeu inducente impotentiam ſuſcipiendi actiones, quibus homo ſanus par eſt. Symptomata ſunt ſenſibiles qualitates corporis alienatae, ſeu receſſus a ſanitate, qui homini non, plus, minus, officiunt. Epigenima eſt ſolius morbi ſymptoma. Inſignia morbi ſymptomata, ſynedrevonta ſymptomata GALENI, morbi ſymptomatici cet. ſunt laeſae functiones, ſeu complexus ſymptomatum, et ſolent reduci ad partem quandam corporis, quam affectam nominant, vel ad praecipuum ſymptoma. Inde affectus paſſionesue dici poſſunt. Cauſa eſt id, quod rationem aegritudinum in ſe continet.

p. 6. Aegritudinum omnibus ſubiectis expenſis, differentiae accidentales generales exponuntur.

p. 40. Aetiologia eſt doctrina de cauſis aegritudinum. Cauſa vero tum eſt id, quod rationem aegritudinis in ſe continet, tum principium philoſophorum a medicis cauſae etiam nomine inſignitum, ſeu id, ex quo intelligitur, cur quid eſſe poſſit. Progreditur Noſter ad noſologiam. Morbum autem definiunt ſyndrome ſymptomatum conſtans, paſſionum geneſis, medendi methodus ei appropriata, ſupponens concurſum cauſarum peculiarium: vnde definiunt ſubiectum, praegreſſa, comitantia, iuuantia, laedentia, epigenimata, criſes et ſolutiones et horum omnium definita ratio. Pathologia eſt doctrina de paſſionibus.

p. 47.

p. 54.

Paſſio

Paſſio dicitur ſyndrome ſymptomatum, quae partim morbo, partim aegritudini ſimplici, ſeu cauſae peculiari debetur, et quae referri ſolet ad quandam corporis humani partem, quaeque ſymptomatum quoque auctor exiſtit. Sequitur introductio ad ſymptomatologiam. Symptoma in ſenſu latiori GALENI eſt, quidquid animali praeter naturam accidit, in ſenſu ſtrictiori, ſeparatis morbi paſſionibus, cauſis rel. eſt ſenſibilis a ſanitate receſſus, aegritudinis ſequela.

Iam ad pathologiam generalem tranſit Cl. Au p. 65.
ctor, quae, quod ſymptomata et paſſiones, vt epigenimata commemorari debent in noſologia, huic a Noſtro hic praemittitur. Atque in pathologia generali enarranda paſſiones primarias praemittere placet Cl. Auctori, vt ex his facilius ſecundariarum natura intelligatur, non ſtudioſe vero inquit in his ſeiunctis affectibus et paſſionibus, tum adiunctis ſymptomatibus, quorum indoles ex iam dictis facile diiudicatur. Hic Noſter ſeruauit anatomicum ordinem et incipit a paralyſi.

Noſologia atque pathologia ſpeciali finitur p. 174.
hic liber.

XIX.

CHRISTIAN GOTTLIEB SELLE, *der Arzneywiſſenſchaft Doctor und Profeſſor, und Arzt des Charité Hauſes zu Berlin*, medicina clinica, *oder Handbuch der mediciniſchen Praxis. Berlin* 1781. *Bey Chriſtian Friedrich Himburg*, 8. *Seiten* 565.

i. e.

Clinica medicina, Auctore CHRISTIANO GOTLIEB SELLE.

Communicato hunc librum ſcribendi conſilio a Cl. SELLE cum Lectoribus, quod ſolummodo eo

redit, vt habeant auditores normam aegros in nosocomio obſeruandi et morbis medendi rationem, quam praeſente ſermone illuſtrabit, amplitudinem ſummam huius operis praemittit.

Medicina ergo clinica deſcripta, pathologicas et therapeuticas morborum comtemplationes tradit Cl. Auctor, dein de febribus, inflammationibus, exanthematibus, rheumatismo acuto et chronico, arthriticis morbis, catarrhis, dyſenteria, cholera, haemorrhagiis, menſtruis, haemorrhoidibus, vermibus, ictero, morbis venereis, ſcorbuto, ſcrophulis, morbo Anglico, paedarthrocace, exanthematibus et vlceribus chronicis, cancro, carie, gangraena, ſphacelo, tumoribus, de febre lenta, morbis nervorum animique, conuulſionibus; de morbis particularibus, cutis, capitis, oculorum, aurium, dentium, colli et pectoris; de morbis primarum et vrinae viarum, partium genitalium, grauidarum, parturientium, puerperarum et lactantium agit et ſelectu remediorum hunc librum finit.

p. 66. Anginam polypoſam mauult Cl. Auctor angi-
p. 122. nam pectoris *) nominare. Rheumatismum in ac-
p. 194. tum et chronicum diſpeſcit. Gonorrhoeam chro-
p. 212. nicam non iuuat mercurius. Cruſta lactea durat
interdum ad annum aetatis ſeptimum vſque et tum
p. 293. ſponte plerumque cedit. Morbi neruoſi ſunt vel
cum, vel ſine materie. Hi dicuntur a Noſtro mor-
p. 329. bi neruoſi, illi morbi neruorum. Apoplexia dividitur aut in apoplexiam exquiſitam, vbi penitus actiones animales patiuntur et omnis ceſſit motus, aut in paroplexiam, vbi aliqua ſenſuum abolitio adeſt, nec omni homo motu caret. Eſt eaque peri-
p. 451. dica. Febris puerperarum a Cl. SELLE diſtinguitur a vr-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 299. 303. 684.

a variis aliis earum febribus per vagos et continuatos dolores abdominis, qui cum febre adsunt. Causae horum dolorum ab aliis atque aliis Auctoribus variae memorantur et ita dissentiunt. Noster causam horum abdominalium dolorum in puerperis quaerit in lactis aberratione.

Eclampsia cernitur in motibus conuulsiuis puerperarum *), iisque febre vehementi comitatis; a febre puerperarum ea prorsus diuersa est, quae reiteratas venaesectiones saepe requirit. Ceterum hic potissimum irritabilitas et sensibilitas attenuantibus, emollientibus et sudorem promouentibus remediis est imminuenda. Lac ex mammis profluebat diu post partum flauo viridis coloris et ingrati odoris. Id quod et nos obseruauimus. p. 463.

Iam ad remedia venimus. Ac primum quidem monet Auctor se reliquis remediis, ab Ipso non nominatis, omnem denegare virtutem medicam, sed ea modo medicamenta potius indicauit, quae per suam experientiam vel hic confirmata sunt, vel aliorum suasu peculiaribus virtutibus medicis gaudent. Aliqua forte hic desiderantur remedia et alia eorum eaque meliora, locum possent occupare. Noster sperat experientiam in posterum hunc defectum esse redintegraturam. Dein ad ipsa remedia progreditur. Acetum vini oleosis et spirituosis gaudens particulis, interdum aestum conciliat. Ibi itaque, vbi de hoc aestu est timendum, suadet Noster succum citri et cremorem tartari. Aër fixus **) exhibetur in phthisi pituitosa, calculis, paralysi cet. a Cl. SELLE. Fluxus sanguineos promouet hic aër et ideo caute phthisicis eum suadet. Quodsi enim p. 467. p. 467. p. 470.

*) v. comm. nostr. secund. dec. Suppl. p. 203. ib. Vol. XVIII. p. 318. Vol. XX. p. 684.

**) v. comm. nostr. Vol. XXI. XXII. XXIII et supra.

tur oppreſſiones pectoris, de tuſſi ſanguinea timendum eſt, et tum eius vſus interdicendus. Cura
p. 482. phora imminuit vrinae ſecretionem. Radix graminis, ſaſſaparillae radici quoad vires non multum
p. 541. poſtponenda eſt, et praeterea eſt minus cara et pretioſa.

XX.

D. KARL WILHELM NOSE, *Mitglied der Römiſch Kaiſerlichen Akademie der Naturforſcher, über die Behandlung des veneriſchen Uebels. Augsburg bey Eberhardt Kletts ſel. Wittwe und Frank*, 1780. 8. *Seiten* 193.

i. e.

Tractatus de methodo medendi malo venereo, Auctore D. CAROLO WILHELMO NOSE.

Noluit Noſter omnes venereos morbos hic tractare, ſed in vniuerſum, quod attinet ad methodum medendi lui venereae, ſolummodo hic perſequitur. Pariter non omnia huc ſpectantia remedia repetuntur, ſed vnum mercuriale praeparatum, quo vſus eſt Cl. Auctor plerumque, obſervationibus ſuis in noſocomio, cui praeeſt, collectis, confirmat. Methodus haec medendi eſt partim praeparatoria, partim ſpecifica, ſeu radicalis. Cura confirmatoria parum attenditur.

Cura praeparatoria ſuperſtruenda eſt conſtitutione morborum graſſantium natura, aetate, nutritione, temperamentis, conditione cet. corporum. Notae ſunt haec praeparatoria remedia, venaeſectiones, euacuationes aluinae; decocta diluentia, balnea, dieta. Sunt vero haec minime generalia, nec debent in indiſ-

indifferenter corpora praeparari ad curae radicalis eo
faciliorem et meliorem euentum promouendum, ob-
tinendumque. Inquirit itaque Noſter in harum re-
gularum medico practicarum vſum et abuſum.
Additur SYDENHAMI *) iudicium de curis prae- p. 55.
ſeruatoriis, quod et ASTRVC commemorauit et quo-
dammodo contra Noſtrum dictum eſſe videtur.
Media itaque hic ſuadetur via, vbi non omnino
negligi, nec ſemper admitti poſſunt curae prae-
ſeruatoriae.

Progreditur Noſter ad radicalem curam. In- p. 60.
ter mercurialia placuit Noſtro mercurius ſublima-
tus. Omninoque aſſerit in plerisque lui venereae
medendi methodis hydrargyrum laudari, cuius vſus
cautus et prouidus eſſe debet. Varie enim com-
binatur lues cum aliis, vt phthiſi, ſcorbuto, grauidi-
tate, tenera iuuentute e. ſ. p. et tum oriuntur vene-
rei morbi complicati; varius item eſt hominum ante
infectionem ſanitatis gradus cet. ad quae neceſſa-
rio eſſe reſpiciendum a Noſtro hic potiſſimum de-
monſtratur. Morbis venereis medentibus atten-
dendum eſt ad propemodum vniuerſalem compli-
cationem cum debilitate, inprimis noſtro tempore.
Quapropter quoque mercurialia cum roborantibus
coniungi poſſe remedia Noſter arbitratur.

Mercurius enim primam quidem cauſam mali p. 83.
tollit, attamen quod eſt potentiſſimum remedium,
vti incautus vſus ejus probat, variis infectionis ſe-
quelis, quae ſerius apparere ſolent, non ſuccurrere
poteſt mercurius. Mercurio ſoli hactenus, ſaltem
rariſſime, omnis omnino vis antiſiphyllitica non eſt
tributa, quam ob cauſam ad varias compoſitiones

*) Oper. med. Genev. 1757. 4. Sum. I. Ep. II. Reſponſ.
p. 212.

et combinationes mercuriales reſpexerunt medentes a Noſtro hic perquiſitas; dum ſimul ſingulorum indiuiduorum ſiue ſubiectorum, in quae haec methodus medendi cadit, et cauſarum vniuerſalium, quae morbos varios efficiunt, habendam eſſe rationem, hic aeque, ac in reliquis nonnullis ſectionibus monſtrat. Ita in corporibus ſingulis aliter atque aliter diriguntur et modificantur miasmata et quidem venereum pariter, ac alia quaeque. Leguntur hic exempla ideo collecta a Noſtro, ex quibus ſatis apparet, quid aër, anni tempora, tempeſtatis viciſſitudo cet. tam in morbis excitandis, quam in iis dirigendis, ſanandisque efficere queant. E. l. Mercurius ſublimatus cum roborantibus illum plane non amplius edebat effectum, quem antea Noſter expertus erat. Qui cum in hanc mutationem inquireret, primo eam tribuebat remedio vel quoad praeparationem vel quoad doſin, attamen, hac accurate expenſa, effectuum mutatione, cadebat ea in anni tempus, quod frigidum ſolidas rigidiores et fluidas ſpiſſiores, denſioresque reddidisset, ideoque hoc remedium non poterat penetrare et ſubigi. Omiſſis enim roborantibus et additis demulcentibus et attenuantibus res melius ſuccedebat. Dirigebant iam hae obſeruationes Noſtrum in combinando mercurio ſublimato cum roborantibus, et omnino in definiendis corrigentibus et adiuuantibus, quae aliter atque aliter pro aëris, climatis, aetatis, morborum cet. diuerſitate ſunt eligenda.

p. 125. Ad aëris et omnino tempeſtatis viciſſitudinem Cl. Auctor redit, quatenus vti alii, ſic et venerei morbi patiuntur mutationem per graſſantes conſtitutiones. Prima rudimenta harum conſtitutionum diſpeſci poſſunt ſecundum quatuor anni tempora, quatenus ſpiſſitudinem, vel tenuitatem humorum

morum, rigiditatem, ſiue laxitatem ſolidarum partium efficiunt per eorum diuerſitatem. Ita epidemiae ſeu conſtitutiones perſaepe mutantur, et alios morbos, quibus accedunt interdum, quoque mutant, vel qui ſuperueniunt his epidemiis graſſantibus, aliter atque aliter progrediuntur.

Id quod Cl. Auctor hic in morbis venereis, quos diligenter obſeruauit et ſecundum has mutationes diuerſimode ſanauit, potiſſimum oſtendit. Dirigebantur itaque corrigentia et adiuuantia cum mercurio ſublimato per has mutationes a Noſtro, vti non diu ante narrauimus. Quae cum ita ſint, vniuerſalis methodus neceſſario limitibus eſt circumſcribenda.

Iam diſſerit Noſter de duratione morbi vene- p. 135.
rei, de quantitate mercurii in iis, de recidiuis venereis cet. Praeter roborantia remedia ſunt et alia, quae cum mercurio coniungi poſſunt, vt neruina cet. Porro mala, ex vſu ſublimati mercurii proficiſcentia, referuntur: primarum nimirum viarum debilitas, febris lenta, hydrops, in hypochondriacis, hyſtericisque, omnino irritabilitate praeditis, iis item, qui abortiuntur, ſanguinem ex ore, naribus cet. mittunt, pectoris debilitate laborant, grauidae ſunt e. ſ. p. Et ſi horum omnium ſymptomatum nullum appareret, conquerebatur de dubia efficacia mercurii ſublimati. Quas ſequelas Noſter quidem hic concedit, nec quidquam aliud concludit, quam mercurio eſſe ſumma cautione vtendum. Nam idcirco Noſter hactenus de genuina praeparatione ſublimati, de recta eius applicatione, de iuſta combinatione adiuuantium et corrigentium remediorum ſecundum omnem omnino cuiuslibet aegroti indiuidui diſputauit. Quem ad finem Noſter exemplum, cuius et nos paulo ante mentionem fecimus, me-

morauit, in quo cum roborantibus coniuncta ſublimatus non talem bonum effectum exſeruit, qualem alibi ſaepe expertus eſt. Rurſus hic narrat caſum, vbi dolorem oſteocopum tibiae ſublimato nequiuit ſedare, qui cito euanuit unguento mercuriali huic parti illinito.

p. 169. Quemadmodum, vti ſibi ipſi Noſter obiicit, corrigentia atque adiuuantia ſecundum anni tempora diuerſitatem, morborum conſtitutiones et eligenda ſunt, ſic baſis ſeu praecipuum medicamentum eadem ratione eſſet mutandum. Omnino Noſtro non videtur, et in ſpecie effectus hic ſunt attendendi. Quoad doſin nihil poteſt definiri certi. Incipit Noſter a minori doſi, eamque auget imminuitque pro effectuum diuerſitate, morbique progreſſu, cet. Atque hic modus definiendi doſin ſine dubio eſt optimus.

p. 182. Coniuncto ſublimato cum roborantibus, aegri, niſi aliis mercurialibus antea fuerant vſi, raro ſuperuenit ſaliuatio. Iam ſaepius illam obſeruauit, refrigerio quoque non admiſſo.

XXI.

EDVARDI SANDIFORT tabulae inteſtini duodeni, Lugd. Bat. 1780. 4. c. f. pag. 50.

Cognitio huius inteſtini, inquit Noſter, cuius tanta cenſetur vtilitas, vt nonnulli vicarium ventriculi naturam ipſi tribuerint, phyſiologo, et pathologo adeo neceſſaria habenda eſt, vt functio ipſius, mutationesque, quas ſubeunt ea, quae, ventriculo iam ſubacta, ipſi infunduntur, comprehendi, variorumque affectuum, quorum certe ſedes hoc in inteſtino quaerenda eſt, indoles, duodeni natura neglecta, explicari, cognoſcique nequeant, cuncta vero haec percipiantur facillime, ſi ſitus, nexus, fabrica notabi-

notabilis huius inteſtini optime innotuerunt. Lubuit hanc ob cauſam Cel. SANDIFORT tentare, quid repetitum ſaepiſſime examen, quid peritiſſimi atque dexterrimi delineatoris manus efficere poſſet. In quinquaginta itaque immaturis cadaueribus infantum, adultorum, praeparationem dicti inteſtini diuerſis modis inſtituit, diligenterque, vti ſolet Noſter, curauit, vt ſemper viſa exacte delinearentur. Nata inde iconum duodeni ſitum exhibentium inſignis collectio, ex qua alias, quae hisce quinque tabulis ſiſtuntur, ſelectas et dicti inteſtini ſedem ab anteriore, a poſteriore, vacuo, plenoque, integro et aperto ventriculo ob oculos ponentes, tentaminis inſtar in lucem emittit Noſter ea ſpe, fore vt, etiamſi nondum plenarie (dum omnibus numeris abſolutam duodeni iconem praeſtari non poſſe peritiſſimi iudicant anatomici,) melius tamen, quam quae hactenus diuulgatae ſunt, ſcopo ſatisfaciant, vel ſaltem vtilitate ſua non plane deſtituantur. His e prooemio, quod Noſter huic tractatui praemiſit, enarratis, ſolummodo ſummam capitum cum Lectoribus breuiter communicamus, Eosque ad ipſum librum legendum et icones perquirendas inuitamus.

Caput primum complectitur generalem deſcri- p. 5.
ptionem ſitus, decurſusque duodeni, cui ea, quae SANTORINVS, WINSLOWVS, BONAZZOLIVS, MONRO, SCHREIBER, GARENGEOT, CLAVSEN, HALLER, aliique habent de hac re, addita ſunt a Noſtro, quo eorundem deſcriptio cum Cl. Auctoris iconibus poſſit comparari, nec iterum iterumque repeti ab Ipſo debeant, quae habeant hi ſupra laudati viri.

Caput ſecundum ſiſtit praeparationum ad ico- p. 18.
nes parandas inſtitutarum enarrationem. Ac in-
primis

primis hic reſpexit ad cadauera bene conformata et amplos thoraces; nec non ad diuerſam cadaverum aetatem, ortum, figuram, formam, nexum, ſitum, decurſumque duodeni cet.

Caput tertium figurarum nitidiſſimarum explicationes continet.

XXII.

Noua phyſico-medica.

Doctores et Profeſſores medicinam in litterarum et artium Vniuerſitate, quae *Moſcouiae* florent, docentes ſunt:

SEMEN' Z' UBELIN, Medicinae Doctor, Clinices et Chemiae Profeſſor.

MICHAEL SKIADOM, Philoſophiae et Medicinae Doctor atque Profeſſor.

FRANCISCVS KERESTVRI, Anatomiae et Chirurgiae Profeſſor.

Societas Regia ſcientiarum *Gottingenſis* ad annum 1784. quaeſtionem, *Vtrum alcali minerale a lixiuioſum ſpecie, an ſola varietate diuerſa ſint?* cet.*) iterum propoſuit, optimaeque eius ſolutioni monetam quinquaginta nummorum aureorum pretio dicauit. Tractationes ante nonum menſem 1784 anni mittendae ſunt.

Academia Regia ſcientiarum et elegantiorum litterarum *Berolinenſis* in annum 1782 hanc quaeſtionem ſoluendam dedit:

1) *Quelles eſpeces d' herbes, ou de plantes en général à deſtiner au bétail, fraiches ou ſechées, ſont les plus profitables dans chaque eſpèce de fond?*

2) Quel-

*) v. ſupra p. 169.

2) *Quelles d' entre ces eſpèces peuvent être les plus facilement cultivées & les plus abondamment recueillies, ſans que ces herbes, ou plantes perdent rien de leur qualité nutritive, & en s' aſſurant d' un profit réel?*

3) *Et quelles ſont les régles à obſerver dans la culture de ces herbes, ou plantes, relativement à la difference de leur nature & à la difference du ſol?* id eſt:

1) *Quales ſunt aut herbarum, aut plantarum ſpecies pecudi potiſſimum vel recentes, vel ſiccatae deſtinatae in omni fundorum genere maxime proficuae?*

2) *Quales harum ſpecierum poſſunt et facillime coli, et copioſiſſime ſecari, ſuperſtite adhuc herbarum, aut plantarum nutriendi vi, quae verum promittit fructum?*

3) *Et quales in harum plantarum, aut herbarum cultura adhibendae ſunt regulae, ratione earum diuerſae indolis atque climatis?*

Elaborationes vſque ad Ianuarium 1783 admittuntur; praemium 50 nummorum aureorum, quod a b. ELLERO originem ducit ſuam, d. 30. Maii publice diſtribuetur.

Academia ſcientiarum, artium et litterarum elegantiorum *Diuionenſis* in annum 1782 optat, *vt paullo diligentius, quam antea, explicetur indoles atque natura febrium intermittentium, resque omnes determinentur per certa ſigna, quarum ope antipyretica ſine vlla aegri noxa adhiberi poſſint.*

Praemium huius quaeſtionis, quod 300 librarum eſt, anno 1783 ab Academia merenti dabitur.

Eadem Academia quaeſtionem *de ſaponibus* *) renouauit, cuius quidem ſolutio condecorabitur praemio extraordinario.

Commentarii ad Cl. MARET, ſolutis veſtigalibus, mittendi ſunt.

Socie-

*) v. ſupra p. 343.

Societas *Parisiensis* medica quaerit, *quo modo et infantibus lactantibus symptomata, quae [illegible] dentitionem, arceantur, quaque ratione, si adsint, [illegible] fiari debeant?*

Praemium, quod 600 libris constat, anno 178[illegible] distribuetur.

Eadem praemium eiusdem valoris constituit, qui *signa determinauerit, quae dispositionem corporis in phthisin incidentis annuncient, et remedia ostenderit, huic malo statim praeueniendi progressumque in vlteriorem impediendi.*

Commentarii exeunte anno 1782, expensis solutis ad Cl. VICQ D'AZIR mittantur necesse est.

Academia *Rothomagiensis* Regia scientiarum, humaniorum litterarum et artium praemium tributum statui, quem Perillustris Eques QUATREMERE D'IJONVAL super quaestione *de differentia Cretae, Calcarei, Marmoris et ossium terrae* ad Academiam misit.

Iam hanc quaestionem proponit, quae Decembri anni 1782 resoluenda est: *Quousque et quibus sub conditionibus aliquid sperandum est in curatione morborum de magnetismo et electricitate tam positiua, quam negatiua? Theoria est factis sustentanda atque apparatus experimentorum est exacte describendus vt haec, si opus fuerit, repeti queant.* (*Jusqu'à quel point, & à quelles conditions, peut on compter, dans le traitement des maladies, sur le magnetisme & sur l'electricité, tant positive, que negative? — La Theorie doit être appuyée par des faits? L'appareil des experiences doit être assez detaillé, pourque l'on puisse les repeter au besoin.*

Praemium est moneta aurea trecentarum librarum Gallicarum pretio. Commentarii ante 1 Iulium 1782. et litterae ad Cl. HAILLET DE COURONNE dirigantur sub iis conditionibus, quas in superio-

perioribus noſtrorum commentariorum voluminibus cognitas reddidimus.

Academia Imperialis Scientiarum *Petropolitana* ad annum 1783. quaeſtionem vulgauit hanc, vt quis exponat *theoriam machinarum, quae vi ignis, vel vaporum mouentur.*

Litterae ad d. 1. Menſis Ianuarii 1783. ſub conditionibus conſuetis exſpectantur, praemiumque eſt 100 ioachimicorum ſ. numorum vncialium Ruſſicorum.

Societatis *Bernenſis* oeconomicae quaeſtio, cuius praemium eſt 60 nummorum aureorum, ita ſe habet: *quales vapores, qui per fermentationem rerum vegetabilium naſcuntur, incendi poſſunt, quique fit, vt naſcantur atque incendi queant?*

Commentarii, perinde eſt, vtrum lingua Latina, Gallica, Germanica, Italica aut Anglica conſcribantur, at vero ante exitum anni 1782 ad Cl. HALLERVM mittendi ſunt, vt anno 1783. diiudicari, et a. 1784. publice proponi Societatis de illis iudicium poſſit.

IO. INGENHOUSS inter membra Academiae ſcientiarum *Manhemenſis* receptus eſt.

ADOLPH. MURRAY, Anatom. et Chirurgiae in Vpſalienſi Academia Profeſſor, inter Socios Academiae Regiae ſcientiarum *Holmienſis* eſt relatus.

C. G. GRVNER, inter membra liberae Societatis oeconomicae *Ruſſicae* eſt receptus, medica autem *Pariſienſis* Societas eum ſibi litterarum commerciis familiarem elegit.

Regiae Societatis medicae *Pariſienſis* praeſes, poſt obitum LIEUTAUDII, factus eſt IO. FR. MAR.

DE

DE LA SONE. Vicarius huius Societatis praeses est ANN. CAR. LORRY, directoris autem munus in se STEPH. LVDOV. GEOFFROY suscepit.

Francofurti ad Viadrum quae floret Regia Societas ad incrementum scientiarum et artium directa Cll. CRELLIVM et POTTIVM in Sodalium suorum honoris causa adscriptorum numerum cooptauit.

I. R. FORSTERVS, Professor in Academia Halensi, ab Academia Regia scientiarum et bonarum litterarum *Neapolitana* inter Socios extraneos primae classi adscriptos receptus est.

EVGEN. IO. CHR. ESPER, naturalem historiam in Academia Erlangensi docens, inter membra Societatis naturae scrutatorum *Berolinensis* est relatus.

CAR. CASP. SIEBOLD *), Chirurgiae in Academia Herbipolitana Professor, Archiater atque Consiliarius Principis Episcopi Herbipolitani, inter extraneos Academiae Regiae Chirurgorum *Parisinae* Socios est cooptatus.

Cl. MAX. STOLL Societatis *Hafniensis* Socius est electus.

HENR. CALLISEN, Med. Doctor, Anatomiae et Chirurgiae in Vniuersitate Hafniensi Professor, Societatis Regiae scientiarum *Hafniensis* Socius ordinarius factus est.

Societas medica *Parisiensis* in solemni conseſſu d. XVII. Mens. Nouembr. CIↃIↃCCLXXX. CHABERTVM,

*) v. paulo infra.

BERTVS, Scholarum Regiarum Francogallicarum, in quibus veterinaria ars docetur, Directorem et Inſpectorem inter eos, quibus cum per litteras commercium habet, recepit.

Collegii medici *Holmienſis* Aſſeſſor, mortuo DAHELLI, conſtitutus eſt Cl. SPARSCHUCH, Med. Doctor.

Sereniſſimi Ducis Saxo-Vinarienſis et Iſenacenſis Medicus Aulicus conſtitutus eſt IVST. CHRISP. LODERVS, Anatom. et Chirurg. Profeſſor in Academia, quae *Ienae* floret.

WALTH. VAN DOEVEREN, Med. apud Leidenſes Profeſſor, Sereniſſimi Principis Arauſionenſis Archiatri prouinciam in ſe ſuſcepit.

WILH. FRID. CAPPEL, Anatomiae apud Helmſtadienſes Ordinarius Profeſſor, Aulicus Conſiliarius factus eſt.

CHR. FRID. IAEGER, Medic. apud Tubingenſes hactenus Profeſſor, Academia relicta, Aulam nuper adiit, vt Sereniſſimi Ducis Würtembergici ſanitatem curaret.

I. D. EBERTVS, Med. Doctor, Profeſſionem chemiae in Collegio *Carolino Caſſellano* obtinuit, ſimulque Sereniſſimi Principis medicus eſt conſtitutus.

IOH. FRID. STROHMEYER, Med. Doct. et Prof. Extraord. Poliater *Gottingenſis* factus eſt.

CAR. HENR. KOESTLIN, Phil. et Med. Doctor, Chemiam et Hiſtoriam naturalem profitendi munus in Academia militari *Stutgardiana* nuper obtinuit.

C. G. HAGEN, Med. Doctor et pharmacopoeus Aulicus, medicae artis extra ordinem docendae provinciam *Regiomonti* in se suscepit.

B. CHR. OTTO, Collegii med. Gryphiswaldensis hactenus Assessor et Facultatis Med. Adiunctus, nuper munus naturalem historiam, oeconomiam et botanicen *Gryphiswaldae* tradendi primus obtinuit.

CHR. A. LANGGVTH, Med. Doct. obtinuit nuper medicinam extra ordinem in Vniuersitate *Vitebergensi* docendi prouinciam.

S. A. D. TISSOT Lausanna nuper Ticinum a IOSEPHO II. Augustissimo Germaniae Imperatore euocatus fuit, vt medicinam publice docendi munus in se susciperet.

GE. FORSTERVS, IOH. REINH. Fil. naturalium rerum Doctor publice constitutus est *Cassellis*.

Coloniae Agrippinae MATTH. IOS. MEYER munus medicae praxeos profitendae obtinuit, et FL. STEPH. SCHUIRMANN in locum b. REINERI D'HOME, botanices Professoris, suffectus est.

Cl. NICOL. DALBERG, Archiater Regis Suecorum, Consiliarius Montanisticus nominatus est, atque in eius locum successit Cl. ANT. HOFMANN, qui hactenus Reginae Viduae Archiater erat.

IO. KRAAK, Med. Doct. et artis obstetriciae Professor Holmiensis, Academiae valedixit, eique successit Cl. AD. FR. WEDENBERG: munus autem Adiuncti in arte obstetricia Cl. ALM, Med. Doct. occupauit.

Cl.

Cl. HUNZOWSKY eſt Chirurgiae Profeſſor noſocomii militaris, quod *Viennae* eſt, nominatus.

IOH. GE. FR. FRANZ, Phil. et Med. Doct. nactus eſt in Academia *Lipſienſi* profeſſionem rei medicae extraordinariam, cuius adeundae cauſa more maiorum ſcripſit proluſionem *de medicorum legibus metricis*, habuitque orationem *de ieiuniis rite temperandis*, d. 23. Mart. 1782.

Cl. SILBERLING praeeſt ſcholae obſtetricum, quae nuper in noſocomio militari *Argentoratenſi* eſt condita.

Turici proxime nouum Medico-chirurgicum Inſtitutum inchoabitur, in quo Cl. IOH. CASP. HIRZEL, Med. Doct. Hiſtoriam naturalem et Praxin Clinicam docebit.

Anglipoli Laboratorium chemicum a. CIↃIↃCCLXXX. aedificandum, egregiisque inſtrumentis adornandum, curatum eſt, cuius Director eſt Cl. ROUSSEAU in Eadem Academia Chemiae Profeſſor.

Cracouiae theatrum funeribus diſſecandis deſignatum nuper exſtructum eſt, et propediem chemicum laboratorium aedificandum curabitur.

In memoriam ſymphyſeos oſſium pubis in difficili partu ſectionis nuper inſtitutae nummus excuſus eſt, in quo verba leguntur haec:

ANN. 1768.
